

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

T. MACCI PLAUTI

EPIDICUS.

CUM

VARIIS LECTIONIBUS CODICIS AMBROSIANI, PAREANORUM ET CODICIS PARISINI

IN USUM LECTIONUM

EDIDIT

C. E. GEPPERT.

BEROLINI A. MDCCCLXV.

TYPIS TROWITZSCHII ET FILII.

PRAEFATIO.

Ex Epidico codicis Ambrosiani exstant folia quatuordecim, quae textum continent ab initio fabulae usque ad v. 27 huius editionis, a v. 78—108, a v. 145—177, a v. 206—243, a v. 435 usque ad finem, ut significavi in libro de codice Ambrosiano p. 26. Quae inde adtuli, aucta sunt opera viri doctissimi G. Studemund, qui acri intenta oculorum acie librum perlustrans duas lacunas in v. 495 et 626 explevit. Idem codicem Camerarii Veterem denuo perscrutatus est mihique copias suas transmisit, rogans, ut eas integras in usum meum converterem. Sed nolui viro de me meritissimo, qui ipse Plauti editionem paraturus est, operam laboriosam praeripere, cuius ubertas a consilio huius editionis aliena foret. Satis habui ea commemorare, quibus Parei notae augeri vel emendari possent. Praeterea autem, quae Pareus ex ceteris sex libris Palatinis adtulit, repetii neque codices Langianos neglexi, quorum notitiam potissimum ex editione Hervagiana Basil. 1568 nactus sum. Quae inde profecta sunt, litteris Lg., ut ea, quae Studemundo debeo, litteris St. insignivi.

Haec sunt, quae ad hanc Epidici editionem praefanda esse videantur. In Poenulo autem, proximo anno a me edita, sero nonnulla animadverti, quae iam rectius constitui possunt: V. 486 Reizius coniecit aut auscultas p. auscultabis, v. 825 Brixius secius p. est secus, v. 1171 Spengelius praepollentes p. praevalentes, v. 1238 scribendum esse videtur hercle o patrue, v. 477 secabam p. necabam, v. 1267—1268 autem videntur delendi esse: nil enim dotis promiserat Hanno v. 1150. Praeterea v. 876 legendum vel certe pronunciandum est Sincerasto p. Syncerasto, ut ambiguitas vocis appareat; v. 552 corrige tu p. tuo, 665 dehórtari p. dehortári. — Ad v. 381 addendum est: codd. huius p. huiusce, ad 900 A. hercle meus collibertus, ad 1104 codd. cum A. omnes: i atque evoca. Delevi atque cum Brixio de Terentii fabulis emendandis p. X. Deinde A. illum si eae sunt, om. meae. Denique P. hae p. eae, ad 1285 scribendum P., om. quid hoc, quid hoc est? ad 1320 v. 11 usque ad 13 p. 12—14. De nominibus autem Militis et Vilici litem non moveo.

Plura etiam me docuit Truculenti retractatio, quorum summa haec est: Retinenda est lectio codicum v. 14 postulat id p. postulavit, v. 386 meo es p. es meo, v. 500 Venire p. Bene te, cf. Ter. Phorm. 2, 1, 25, v. 600 umbraticolum (scil. umbraticulum) p. umbraticolam, v. 674 ut p. id, tum autem in iis locis, ubi hiatus auctore Gellio VII, 20 defensionem habet. Scribendum igitur cum codicibus v. 356 et 522 ego nunc p. nunc ego, v. 606 et grata p. grataque, v. 747 inlecebra p. pellecebra, v. 840 eccam eapse p. eapse eccam, cf. Pers. 4, 3, 73; delendum autem v. 559 inde, cf. Stich. 1, 3, 77, et v. 644 huc.

Porro cum ab aliis tum a me nonnulla animadversa sunt, quae probabiliter mutari possunt. v. 29 Brixius coniecit pericla, damna p. pericla amanda, cf. Phorm. 2, 1, 15, v. 102—3 idem: quinei aut senei p. quippe ut semel, v. 173 Spengelius tam it optumum est amicae p. amator optumum amicae est, idem v. 529 quot ancillas alam p. quot mi ancillae sient, v. 442 Bothius in editione a. 1840 ex V. legendum esse intellexit immo, unde lectio oritur immo ex hoc loco p. iam domo ilico, cf. Asin. 1, 2, 4, idem ex D. abiectaculum, unde scripserim is qui abiectaculum p. qui mendicabulum, v. 942 autem zonam correxit p. zonas; Fleckeisenus v. 750 quadrupuli scripsit p. quadrupli. Praeterea fortasse v. 183 partim ex codicibus Palatinis legendum est Cum amantibus, qui non danunt, nam totum hunc versum A. tribuit Astaphio, dum codices seriores haec verba Diniarcho continuant, v. 235 modo p. cui, cf. Asin. 1, 3, 16, v. 405 nostram, quae meas erga aedes habet p. nostras aedes erga quae habitat, v. 535 addo et purpuram p. addo purpuram, v. 537 hascine p. istas, v. 614 iussi: mane p. iussi mane.

Denique ad v. 163 addendum est: codd. te p. tete, ad v. 187 V. D. Diniarcho tribuunt Nam obsecro, ad v. 204 codd. praeter A. omnes inserunt personam Astaphii post pater, quam in versu sequente omittunt, ad v. 316 illum ego Bothius: codd. ego illum, ad v. 327 V. D. hunc versum dant Astaphio, ad v. 374 V. D. parsis si p. parsissem, ad v. 386 cf. Acro ad Hor. epod. 1, 1, 5, ad v. 406 codd. opera p. operam, ad v. 485 cf. Appul. Flor. 1 n. 2. Scribendum autem ad v. 197 V. D. quod diis p. quotiens, ad v. 269 V. D. rustum iodbras, ad v. 532 ex Phrygia Gronovius et Kampmannus.

Scripsi Berolini mens. Oct. a. MDCCCLXV.

ARGUMENTUM.

Emit fidícinam, filiám credens, senéx
Persuasu sérvi, qui aeque cónducticiám
Iterum pro amíca ei subiécit: filió
Dat erili argéntum. eo sorórem destinát
Imprudens iúvenis. mox compréssae ac militís
Cognoscit ópera sibi senéx os sublitúm:
Ut ille amícam, haec quaeritábat filiám:
Sed inventa gnáta servolum émittit manú.

2. codd. atque: scr. qui aeque. Deinde conducticiam Aldus: codd. conductam. 3. filio Pal. 6 a m. pr.: codd. ceteri filii. 5. V. (St.) et P. omm. mox. 6. P. oblitum. 7. Pall. et P. hic senex p. haec. Deinde quaeritabat Camerarius: codd. omnes quaerebat.

DRAMATIS PERSONAE.

EPIDICUS, THESPRIO } SERVI.
STRATIPPOCLES, CHAERIBULUS } ADULESCENTES.
APOECIDES, PERIPHANES } SENES.
MILES.
PHILIPPA, MULIER.
VIRGO.
FIDICINA.
DANISTA.
GREX.

EPIDICUS. THESPRIO.

EPIDICUS.

Heus aduléscens.

THESPRIO.

Quis properántem me reprehéndit pallió?

EPIDICUS.

Familiáris.

THESPRIO.

Fateor, nam ódio es, nimium fámiliaritér.

EPIDICUS.

Respice véro, Thesprio.

THESPRIO.

Oh!

Epidicúmne ego conspicór?

EPIDICUS.

Satis recte óculis uterís.

THESPRIO.

Salve.

EPIDICUS.

Dí dent, quae velís.

Venire sálvom gaudeó.

THESPRIO.

Quid ceterúm?

EPIDICUS.

Quod adsolét,

Cena tibi dábitur.

A. Thesprio. Epidicus. V. (St.) Epidicus. Thesprio. Serui duo. P. Tesprio. 1. reprehendit A. solus: ceteri prehendit. 3. V. (St.) uero dhesprio, Lg. obsecro p. Thesprio. Ceterum in versuum 3—6 descriptione secutus sum A.: codd. reliqui v. 3 cum 4, 5—6 coniungunt. 5. Satis recte A. solus: ceteri, om. satis, Certe. Deinde post uteris A. addit Salue, quod ceteri omm. 7. quod adsolet Guyetus: A. V. P. et Pal. 4 quod eo adsolet, nisi quod V. (St.) assolet, Pall. quattuor quod esse adsolet, Lg. quod solet. 8. P. et Pall. plerique dabitur tibi.

THESPRIO.

Spondeó.

EPIDICUS.

Quid?

THESPRIO.

Me acceptúrum, si dabís.

EPIDICUS.

Quid tu agis? út vales? Exémplum adesse intéllego. Eugepaé!
Corpuléntior vidére atque habitiór.

THESPRIO.

Huic gratiá.

EPIDICUS.

Quam quidém te iamdiú deperdidísse oportuít.

THESPRIO.

Minus iam fúrtificus sum, quam ántehac.

EPIDICUS.

Quid ita?

THESPRIO.

Rápio propalám.

EPIDICUS.

Di immortáles te infelícent, ut tu-es grádibus grandibús!
Nam ut apud pórtum te conspéxi, curriculo óccoepi sequí:
Vix adipíscendi potéstas modo fuít.

THESPRIO.

Scurra es.

EPIDICUS.

Sció

Te esse equidem hóminem militárem.

9. P. et Pall. tres magis p. tu agis. Deinde uales A. solus: ceteri uelis, V. Quid tu? agis, ut uelis? Dehinc codd. Thesprioni dant Exemplum adesse intellego. Denique eugepae Acidalius: codd. ceteri Euge, A., ut videtur, Eugae. Ceterum A. hunc versum in tres lineas dispescuit: Quid | Tu agis ut uales | Exemplum adesse etc. 10. Donatus ad Eun. II. 2, 11 hercle p. videre. Deinde habitior Roverianus Lipsii et Donatus: A. abilior, codd. ceteri agilior. Denique P. Hac p. Huic, Lg. Huic uentri gratia. 11. Lg. iamdiu te, Pal. 6 om. te. Deinde deperdidisse Camerarius: codd. cum A., qui verbis perdidisse oportuit peculiarem versum constituit, omnes perdidisse. 12. Ammianus Marcellinus XV. 13, 3 ut ait comicus: arte despecta furtorum rapiens propalam. 13. te infelicent Lambinus et Guyetus: codd. cum A. omnes omm. te, Pall. 1 et 2 exhibent infelicitent. Deinde V. (St.) a m. pr. ut is, om. tu. 14. Lg. omm. ut. Deinde V. et Pall. 1, 2 curculio. Denique A. occepi. 16. equidem A. solus: ceteri quidem.

THESPRIO.

Audacter quámvis dicitó.

EPIDICUS.

Quid agis? pérpetuen valuisti?

THESPRIO.

Varie.

EPIDICUS.

Quí varie valént,
Caprineum hóminum non placét mihi neque panthérinum genús.

THESPRIO.

Quid tibi vis dícam, nisi quod ést?

EPIDICUS.

Iam ut alia résponses.

THESPRIO.

Probé.

EPIDICUS.

Quid erilis nóster filiús?

THESPRIO.

Valet pugilice átque athleticé.

EPIDICUS.

Voluptabilém mihi nunciúm tuo advéntu adpórtas, Thesprió.
Sed ubi est is?

THESPRIO.

Advenit simúl.

EPIDICUS.

Ubi is ergo est? nísi si in viduló
Aut si in méllina adtulísti.

THESPRIO.

Di te pérdant.

16. Pall. et Frising. quiduis p. quamuis, P. quoduis. Denique V. (St.) Ditito. 17. perpetuen A.: V. perpetuene, P. et Pall. perpetuon. Deinde P. ualuistin. 18. A. capriagenum, V. a m. pr. et Pal. 1 capre aginum, V. a. m. sec. P. et Fris. caprigenum, Lg. caprae non hominum. Scr. Caprineum. 19. A. Ut illa iam responsas, Pall. Ut illa respondeas, Lg. Ut illi respondeas, P. Ut ille respondeas, V. Ut illi respondi. Scr. Iam ut alia responses. Dehinc P. om. Thesp. 20. Valet ab A. Thesprioni tribuitur, a ceteris cum signo interrogationis Epidico. 21. codd. ceteri omnes adtulisti, om. Thesprio: A. reportas Thesprio. Inde scr. adportas. 22. A. Sed ubiste p. Sed ubi est is. Deinde aduenit A. solus: ceteri adueni. V. egost p. ergo est. Pal. 6 nidulo, P. simmidulo p. si in vidulo. Ceterum V. (St.) personam Epidici interserit ante nisi. 23. V. (St.) immellina attulisti.

EPIDICUS.

Te voló

Percunctári: mihi operám da; opera réddetur tibí.

THESPRIO.

Ius dicis.

EPIDICUS.

Mé decet.

THESPRIO.

Iam tu aútem nobis praéturam gerís?

EPIDICUS.

Quem dices dígniorem esse hóminem hocedie Athénis alterúm?

THESPRIO.

At unum a praétura tuá, Epidice, abést.

EPIDICUS.

Quidnam?

THESPRIO.

Sciés.

Lictores dúo, duo ulmeí fasces virgárum.

EPIDICUS.

Vae tibí!

Sed quid ais?

THESPRIO.

Quíd aliud rogás?

EPIDICUS.

Ubi arma súnt Stratippoclí?

THESPRIO.

Pol illa ad hóstes transfugérunt.

EPIDICUS.

Armane?

THESPRIO.

Atque quidem citó.

EPIDICUS.

Serióne dicis ístuc?

THESPRIO.

Serio, ínquam: hostes habént.

24. Percunctari A. Deinde codd. omm. mihi, quod addidi. Denique reddetur A. P. Pal. 1 et Lg.: Pall. ceteri redditur, V. creditur, sed c in rasura. 25. A. Ius | Dicis me decet | Iam tu autem nobis praeturam geris? quem | Dices etc. cf. supra ad v. 8. 26. P. digniorem alterum esse. Deinde codd. hodie: scr. hocedie. 27. Lg. abesto. 28. codd. ceteri uiminei, Pal. 3 uiminum. cf. Herm. elem. p. 161. 29. codd. omm. aliud, quod addidi. V. (St.) Strathippocli, P. Stratiphocli. 30. Pal. 3 ita p. illa. Pal. 2 transfugere. P. At p. Atque. 31. istuc Gruterus: codd. ceteri tu, Lg. haec tu.

EPIDICUS.

Edepol fácinus improbum!

THESPRIO.

At iam ante alii fécerunt idém.
Erit illi illa res honóri.

EPIDICUS.

Qui?

THESPRIO.

Quia ánte aliis fuít.
'Mulcibér, credo, arma fécit, quae habuít Stratippoclés:
Travoláverunt ad hóstis.

EPIDICUS.

Tum ille prógnatus Thetí
Sine perdát: alia apportábunt éei Nérei filiaé.
Id modo vidéndum est, ut matéries suppetát scutariis,
Si in singulís stipendiis ad hostes éxuvias dabít.

THESPRIO.

Supersede istis rebus.

EPIDICUS.

Em, tu ipse, ubi lubét, finem facé.

THESPRIO.

Desiste pércunctariér.

EPIDICUS.

Loquere: ipse ubi ést Stratippoclés?

THESPRIO.

Est caussa, quá caussa simúl mecum ire véritust.

EPIDICUS.

Quidnam id ést?

THESPRIO.

Patrem vidére se nevólt etiam nunc.

33. ante P. solus: ceteri antea. Deinde P. alios. 34. codd. praeter V. (St.) et P. ante hunc versum denotant personam Epidici. 35. P. Transvelaverunt. Deinde codd. praeter V. (St.) omm. personam Epidici. Lg. illa p. ille. 36. Pal. 2 apportabitur. Deinde codd. cum Prisc. VI. p. 252 ed. Hertz ei p. eei. V. (St.) naerei. Ceterum cf. de enunciatione ling. lat. p. 16. 37. V. scrutariis (ad oram scutariis), Lg. scurtariis, Pall. 1 et 3 scruptariis. 38. P., om. Si in, Epid. Singulis. Deinde codd. omnes post stipendiis addunt is, quod Bothius delevit, alias edd. secutus. 39. codd. cum Non. 40, 9 rebus iam. Scr. rebus. Em. Deinde V. (St.) a m. pr. ibi p. ubi, Pal. 3 tibi. 40. V. percunctanter. 41. Lg. omm. caussa posterius. 42. se nevolt Hermannus: codd. senem non uolt, nisi quod V. (St.) uult. Deinde P. Tu scies.

EPIDICUS.

Quápropter?

THESPRIO.

Sciés.

Quia forma lépida et liberáli captivam áduleseentulám
De praedá mercatust.

EPIDICUS.

Quíd ego ex te audio?

THESPRIO.

Hóc, quod fabulór.

EPIDICUS.

Cur eam émit?

THESPRIO.

Animi caússa.

EPIDICUS.

Quot illic hómo animos habét?
Nam certo, priúsquam hinc ad legiónem abiit domó,
Ipsus mandávit mi, ab legióne ut fidiciná,
Quam amabat, émeretur sibí. id ei impetrátum reddidí.

THESPRIO.

Utcunque in álto ventust, Epidice, exin vélum vortitúr.

EPIDICUS.

Quid istanc, quam émit? quanti eam émit?

THESPRIO.

Vilei.

EPIDICUS.

Haud ístuc te rogó.

THESPRIO.

Quid rere ígitur?

EPIDICUS.

Quot minís?

THESPRIO.

Totis quadráginta minís.

45. Pal. 1 gratia p. caussa. Deinde P. annos p. animos. Praestat fortasse homo illic. 46. V. (St.) a m. pr. legationem p. legionem. 47. Ipsus Bothius: codd. Ipse. Deinde Lg. i lenone fidicina. 49. V. (St.) a m. pr. exim, Pall. et P. eximo. cf. Ritschl in Mus. Rhen. VII. p. 475. Post hunc versum in codd. sequuntur: Epid. Vae misero mihi! male perdidit me. Th. Quid (V. et Pall. Quin) istuc? quidnam est? quae delevit Weisius. 50. P. istam p. istanc. 51. V. (St.) cum lacuna praecedente a m. pr. et Lg. Reddigitur, V. a. m. sec. Reddigetur, P. et Pall. Quid igitur. Scr. Quid rere igitur. Deinde Totis quadraginta minis Meursius: codd. ceteri, Th. Tot. Epid. Quadraginta minis, nisi quod Pal. 3 quinquaginta, V. (St.) tamen et P. omm. personam Epidici.

Id adeo árgentum ab danísta apud Thebas súmpsit foenoré,
In diés minasque argénti singulás nummis.

EPIDICUS.

Papaé!

THESPRIO.

Et is danísta advenit úna cum eo, qui árgentum petít.

EPIDICUS.

Di immortáles, ut ego intérii basilicé!

THESPRIO.

Quid iam? aut quid ést,
Epidice?

EPIDICUS.

Hómo me perdidít.

THESPRIO.

Quis?

EPIDICUS.

Ille, qui árma perdidít.

THESPRIO.

Nam quid ita?

EPIDICUS.

Quía cotidie ípse ad me ab legióne epistulás
Mittebat. séd taceam optumum ést. Plus scire sátiust quam loquí
Servom hominem: éa sapientia ést.

THESPRIO.

Nescio edepol quíd tu timidùs trépidas, Epidice: út voltum tuóm
Video, vidére commeruísse hic, me absente, ín te aliquid malí.

EPIDICUS.

Potin ut moléstus ne siés?

THESPRIO.

Abeo.

EPIDICUS.

Asta: abíre hinc non sinám.

THESPRIO.

Quid nunc me rétines?

EPIDICUS.

Adamatne ístam, quam emit dé praeda?

52. P. Epid. Ab danista apud Thebas. Thesp. Sumpsisti foenore. 53. V. (St.) om. Epid. 55. V. balisce. 56. codd., om. homo, perdidit me. Scr. homo me perdidit. Deinde arma perdidit Jacob: codd. perdidit arma. 57. V. et Pall. Num p. Nam. 58. P. om. est. 59. De hiatu cf. Gellius VII. 20. Ceterum de enunciatione ling. lat. p. 32. 60. codd. ita. Scr. ut. Acidal. uti. 61. Video Camerarius et Gulielmus: codd. uideor. Dein d Lg. et Pall. aliquot uideri, quod om. P. 62. codd. sis. 63. codd. Amatne: scr. Adamatne.

THESPRIO.

Rogás?

Deperit,

EPIDICUS.

Tum detegétur corium dé tergo meó.

THESPRIO.

Plusque amát, quam te unquam amávit.

EPIDICUS.

Iuppitér te perduít.

THESPRIO.

Mitte núnc iam: nempe ille me votuít domum venire:
Ad Chaeribúlum iussit húc in proxumúm:
Ibi manére iussit: éo venturust ipsus.

EPIDICUS.

Quid ita?

THESPRIO.

Dícam.

Quia patrém prius convenire non volt néque se conspicári,
Quam id argéntum, quod debétur pro illa, dinumeraverit.

EPIDICUS.

Heu edepól res turbuléntas!

THESPRIO.

Mitte me, út eam nunc iám.

EPIDICUS.

Haecine úbi senex rescibit, puppis péreunda est probé.

THESPRIO.

Quid istuc ád me adtinét, quo tu intéreas modó?

EPIDICUS.

Quia perire solus nólo: te cupió perire mécum
Benevolúm cum benevolénte.

THESPRIO.

Abi in malám rem maxumám
Cum istac cónditione.

64. P. deperiit. Deinde codd. omm. Tum, quod addidi. Denique P. et Non. 278, 19 degitur. 65. P. plus te amat quam unquam. Deinde Pall. perduat vel perdat. 66. codd. nam: scr. nempe. Deinde Pal. 4 detinuit p. votuit. 67. V. (St.), Lg. et P. Cheribolum. 69. codd. se collocant post prius: correxit Jacob. 70. P. debet p. debetur. 71. V. et Lg. Eu, P. et Pall. Tu. Deinde turbulentas, testibus Grutero et Scioppio, Lg.: V. turbulentast, P. et Pall. re es turbulentus. 72. P. Haec p. Haecine. Deinde codd. scibit senex: scr. senex rescibit. 75. Benevolum R. Müller de Epidico p. 37: codd. Benevolens. Deinde codd. maxumam a me. Delevi cum Guyeto a me.

EPIDICUS.

I sáne, si quid féstinas magís.

THESPRIO.

Numquam hominém quemquam convéni, unde abierím lubentiús.

EPIDICUS.

Heic hinc ábiit: solus és nunc. quo in loco haéc res sit, vidés,
Epidicé: nisi quid tibi ín tete auxili ést, absumptus és.
Tantae in te ímpendent ruínae: nisi suffúlcis firmitér,
Non potés subsistere, ítaque in te irruónt montes malí,
Neque ego núnc quomodó
Me expedítum ex impedíto faciam, cónsilium placét.
Ego misér perpulí
Meis dolís senem, ut censéret suam sese émere filiám.
Is suó filió
Fidicinam émit, quam iste amát, quamque abiens mándavit mihí.
Is sibi núnc alterám
Ab legióne adduxit ánimi caussa: córium perdidí.
Nam ubi senéx senserít
Sibi data ésse verba, vírgis dorsum dépoliét meúm.
At enim tú praecavé!
Quid cavéám? nam nihil est ístuc: plane hoc córruptum est capút.
Nequam homo és, Epidicé!
Qui tibimét lubido est mále loqui? quia tú te deserís?
Quid faciám? men rogás?
Tu qui antehác aliis solébas dare consília mutuá.
Aliquid áliqua reperiúndum est. Sed ego césso ire obviám
Adulescénti, ut quid negóti sit, sciam. át eccilli ipsus ést.

76. Fortasse scribendum est I sane tu, si festinas. 77. Lg. conveni quemquam. V. libentius. 78. codd. Illic: scr. Heic. Deinde P. scelus p. solus. Dehinc V. nunc es. Tum autem P. et Pall. omm. omnia inter nunc et quomodo v. 82. 80. Lg. pendent. 81. Lg. irruent. In descriptione v. 82 usque ad 91 secutus sum A. 84. Lg. perpoli. 87. codd. ipse amat quam: scr. iste amat quamque. 88. V. Si p. Is, quod P. prorsus om. 89. adduxit Camerarius: codd. ceteri omnes abduxit, Pal. 6. deduxit, Helmst. abduxit amicam animi caussa. 91. P. esse data. Deinde depoliet, si recte memini, P. solus: V. et Pal. 3 despoliet, Pall. 1, 2, 6 dispoliet, 4 spoliet. 92. A., qui hunc versum cum sequente coniungit, At enim cate. 93. codd. omm. Quid caveam? quae addidi. Deinde omnes praeter A. omm. nam. Denique A et V. (St.) corruptust. 95. codd. omm. tibimet. Deinde tu te P. solus: ceteri tu tete. Denique Pall. 2, 3, 4 derideris. 96. codd. men tu rogas? Delevi tu. 97. qui Jacob: codd. quidem. 98. codd. ceteri Quid? aliqua, V. cum lacuna a principio lineae: quid? aliquid. Scr. Aliquid aliqua. Deinde V. reperiperiundum. 99. codd. atque ipse illic: scr. at eccilli ipsus. cf. animadv. ad Trin. v. 186 p. 140.

Tristis ést: cum Chaeribúlo incedit, aéquali suó.
Huc concédam, oratiónem unde horum plácide persequár.

STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS. EPIDICUS.

STRATIPPOCLES.

Rem tibi sum élocutus ómnem, Chaeribúle, atque admodúm
Meorum moérorum atque amórum summam edíctavi tibí.

CHAERIBULUS.

Praeter aétatem et virtútem stultus és, Stratippoclés.
Idne pudét te, quia capteívam, genere prógnatam bonó,
In praeda és mercatus? quís erit, vitio quí id vortat tibí?

STRATIPPOCLES.

Nihil agít, qui diffidéntem verbis sólatur suís.
Is est amícus, qui in re dúbia re iuvát, ubi re est opús.

CHAERIBULUS.

Quid tibi mé vis facere?

STRATIPPOCLES.

Argénti dare quadrágina minás,
Quod danístae detur, únde ego illud súmpsi foenoré.

CHAERIBULUS.

Si hercle habérem, non negárem.

STRATIPPOCLES.

Nam quid te ígitur rettulít,
Beneficum ésse oratióne, si ad rem auxílium emortuom ést?

CHAERIBULUS.

Quin edepól egomet clamóre defatígor, differór.

STRATIPPOCLES.

Malim istíusmodi mi amícos furno mérsos quam foró.
Sed operam Epidici nunc me émere pretio prétioso velím,
Quem quidem égo hominem irrigátum plagis pístori dabó,

100. Lg. et P. Cheribolo, V. (St.) Cheribulo. 101. P. eorum, Guyetus horunc. V. (St.) et P. Cheribolus. 102. Pal. 3 Hem p. Rem. Deinde V. (St.) chribole, Lg. Cheribole. Denique Pal. 4 adcommodum. 105. V. supra lineam probo. 106. A. uertat, Pall. id non uortat, P. non p. id. Post hunc versum in codd. praeter A. omnibus sequuntur versus tres: Str. Qui inuident (Pal. 3 uident) omnes inimicos mihi istoc (V. [St.] et P. illoc, Lg. illo) facto repperi At pudicitiae eius (quod om. P.) nunquam nec uim nec uitium attuli. Ch. Iam istoc probior es meo quidem animo, cum in amore temperas. 108. V. a m. sec. et Lg. opere (p. re) iuuat. 110. codd. omnes datur. 111. non negarem Lg. soli: omm. codd. ceteri. 113. codd. ceteri omnes differor diffatigor, Lg, om. differor, diffatigor. 114. V. mensos. Deinde ad oram te fore. 116. P. om. ego. Deinde Pall. fere omnes irrogatum.

Nisi hodié prius comparássit mihi quadráginta minás,
Quam argentí fuero elocútus ei postrémam syllabám.

EPIDICUS.

Salva rés est: bene promíttit: spero, sérvabit fidém.
Sine meó sumptu parátae iam sunt scápulis symbolaé.
Aggrediár hominem. Adveniéntem peregre erúm Stratippoclém
Impertít salute sérvos Epidicús.

STRATIPPOCLES.

Ubi is est?

EPIDICUS.

Adést.
Salvom te ádvenisse huc

STRATIPPOCLES.

Tám tibi istuc crédo, quam mihí.

EPIDICUS.

Benene usqué valuisti?

STRATIPPOCLES.

A mórbo valui, ab ánimo aeger fuí.

EPIDICUS.

Quod ad me attínuit, ego curávi: quod mandávisti mihí,
Impetrátum est: empta ancílla est, quod tute ád me litterás
Missiculábas.

STRATIPPOCLES.

Perdidísti omnem operam.

EPIDICUS.

Nám qui perdidí?

STRATIPPOCLES.

Quia meó neque cara est córdi, neque placét.

EPIDICUS.

Quid rettulít
Mihi tantópere te mandáre et mittere ád me epistulás?

STRATIPPOCLES.

Illam amábam olim: nunc ália cura impéndet pectorí.

118. V. sillabam. 119. P. promitte. Deinde fidem Lambinus: codd. idem. 120. V. parate — simbolae. 121. erum Stratippoclem P. solus: ceteri erum suum Stratippoclem, nisi quod V. (St.) a m. sec. Stratippoclen. 122. Impertit Weisius: codd. omnes Salua impertit, nisi quod P. impartit. 123. codd. Saluum te gaudeo huc aduenisse, nisi quod Pal. 3 te cupio gaudeo. Scr. cum R. Muellero de Epidico p. 21 Salvom te advenisse huc 124. Lg. Bene. Deinde Pall. fere omnes omm. usque. 125. mandavisti Bothius: codd. mandasti. 126. V. et P. emptast ancilla, nisi quod P. emta est. 127. P. quid. 128. codd. retulit. 129. P. et Pall. emittere p. et mittere. 130. codd. addunt iam post nunc, quod delevi.

EPIDICUS.

Hercle míserum est, ingratum ésse id homini, quód facias bené.
Ego quod bénefeci, maleféci, quia amor mútavit locúm.

STRATIPPOCLES.

Desipiébam mentis, cum ílla scripta míttebam tibí.

EPIDICUS.

Men piácularem opórtet fieri ob stúltitiam tuám,
Ut meum térgum tuae stultítiae subdas súccidaneúm?

STRATIPPOCLES.

Quid istic vérba facimus? huíc homini opust quadráginta minís
Celeritér calidis, dánistae quas resólvat, et citó.

EPIDICUS.

Dic modo, únde auferre mé vis? a quo trápezita petó?

STRATIPPOCLES.

Unde lubét. nam ni ante sólem occasum eas éxploraverís,
Meam domúm ne imbitas: túm tete in pistrínum conferás.

EPIDICUS.

Facile tú istuc sine períclo et cura, córde liberó
Fabuláre. novi ego nóstros: mihi dolét, quom ego vapuló.

STRATIPPOCLES.

Quid tu núnc? patierin, út ego me interimám?

EPIDICUS.

Ne fecerís.
Ego istuc áccedam períclum potius átque audacitér.

STRATIPPOCLES.

Nunc placés: nunc ego te laúdo.

EPIDICUS.

Patiar égo istuc quod lubét.

131. P. gratum. Deinde codd. hominem id: scr. id homini. Iam Palmerius et Scioppius homini p. hominem. 132. V. (St.) feci bene. 133. Non. 499, 3 illa scribta mitterem: codd. illas scriptas mittebam. 134. V. ad oram peculiarem. 135. tuae stultitiae Gellius ed. Hertz IV, 6, 4: codd. stultitiae tuae. 136. Stratippoclis personam ex edd. vett. restituit Acidalius: codd. Chaeribulum exhibent. Pal. 4 istaec. Deinde codd. opus est. 137. resolvat ex edd. vett. Pistoris: codd. resoluas. 138. Praestat fortasse petam. 139. Stratippoclis personam praefigunt V. (St.) et P.: ceteri, ut videtur, Chaeribulum. P. et Pall. solis. Deinde V. (St.) et P. occasum elo, Lg. occasum eloces. Scr. eas exploraveris. 140. codd. tu te in pistrinum, nisi quod V. (St.) et P. pristinum. Scr. tum tete in pistrinum conferas. 141. periclo Bothius: codd. periculo. 142. Pall. Ioui p. novi, P. iovi tergo nostro sed mihi. 143. Lg. paterim. 144. periclum Bothius: codd. periculum. Deinde audaciter Guyetus: codd. audaciam, nisi quod V. audatiam. 145. A. Patiar istuc, om. ego.

STRATIPPOCLES.

Quid illa fiet fidicina igitur?

EPIDICUS.

Aliqua rés reperibitúr:
Aliqua ope éxsolvam, extricábor aliqua.

STRATIPPOCLES.

Plénus consili és.
Novi ego te.

EPIDICUS.

Est Euboicus miles locuples, múlto auro poténs,
Qui ubi tibi ístam emptam esse scíbit atque hanc ádductam alterám,
Continuó te orabit últro, ut illam trámittas sibí.
Sed ubi illa ést, quam tu adduxísti tecum?

STRATIPPOCLES.

Iám faxo hic erít.

CHAERIBULUS.

Quid hic nunc ágimus?

STRATIPPOCLES.

Eamus íntro huc ad te, ut húnc hodie diém
Luculéntum habeamus.

EPIDICUS.

Ite intro. ego de ré argentariá
Iam senátum convocábo in corde cónsiliariúm.
Quoi potíssumum indicátur bellum, unde árgentum auferám?
Epidicé, vide quid agas: íta res subito haec óbiecta est tibí.
Non enim núnc tibi dormitándum neque cunctándi copia ést.
Adeundúmst! senem oppugnáre certum est cónsilium mihí.
Ibo intro: ádulescenti dícam nostro erílí filió,
Ne hinc forás iamiam ambulét, neve obviám veniat sení.

146. Quid illa A. et Non. 508, 13: codd. reliqui Quid de illa. Deinde Aliqua res Nonius: codd. ceteri Aliqua re, A. alia res. Denique A. et Non. repperibitur, Pall. 2, 3 et Lg. peribitur. 147. Non. 8, 21 extricabor aliquam. Deinde consili A. solus, P. consiliis, ceteri consilii. 150. V. (St.) a m. pr. transmittas, Pal. 1 transmictas. 152. P. om. personam Chaeribuli. 153 Luculentum A. solus: ceteri luculente, V. (St.) tamen tantum ex correctura. 155. A. Qui. 156. Lg. et, ut videtur, Pall. subita. 157. P. copia est tibi: igitur 158. Adeundumst Bothius: A. P. et Pall. Adeundum, V. At eundem. Deinde Lg. expugnare. Denique codd. praeter V. omnes omm. mihi. cf. Pareus anal. p. 298. De A. non liquet. Is enim nihil exhibet nisi M cum fulcro quodam sequente. 159. Ibo intro A. solus: V. ii abi intro, Pal. 4 et P. abi intro. Deinde codd. cum A. omnes addunt atque, quod delevit Weisius. Denique dicam A. et P.: ceteri dic iam. 160. Ne hinc A. solus: P. Pal. 1 et 3 Ne hic, V. nec hic, Pal. 2 Ut hic. Deinde

APOECIDES. PERIPHANES.

APOECIDES.

Homines plerique, quos, cum nil refert, pudét,
Ubi pudéndum est, ibi eos déserit pudór,
Quom usust ut púdeat.
Is adeó tu es. quid ést, quod pudéndum siét,
Genere nátam bonó pauperém te domúm ducere úxorem,
Praesertim éam, qua ex tibí commemorés prognatam hánc,
quae domo ést, filiám?

PERIPHANES.

Revereór filium.

APOECIDES.

At pol ego té credidí
Quam tu uxórem extulísti, pudórc exsequí.
Quoius quótiens sepúlcrum vidés, sacruficés
Ilico órco hostiis: neque adeo íniuriá,
Quia licitum ést eam vivéndo tibí vincere.

PERIPHANES.

Oh!
Herculés ego fuí, dum illa mécum fuít!
Neque sexta aerúmna acerbiór Herculi, quam illaéc mi obiecta est.

APOECIDES.

Pulcra edepol dós pecunia ést.

PERIPHANES.

Quae quidem pol nón marita est.

A. foras iamiambulet. Inde scr. iamiam ambulet: codd. ceteri foras ambulet. Denique neue obuiam ueniat A. solus: ceteri neue usquam obuiam ueniat, nisi quod Lg. obuiet p. obujam ueniat.

In describendis versibus huius scenae cod. A. secutus sum. 161. codd. cum A. omnes Plerique homines. Scr. Homines plerique. 162. Guyetus coni. Ubi vero pudendum. 163. codd. usus est. Deinde Pal. 3 pudescit. 164. codd. praeter A. omnes es p. est, V. (St.) et P. qui des. 165. A. parem p. pauperem. Deinde codd. omn. te: addidit Hermannus. 166. codd. cum A. omnes hanc quae domi (A. domo) est filiam prognatam, nisi quod V. a. m. sec. Pall., excepto 6, qui emendavit filiam, et P. familiam. Scr. prognatam hanc quae domo est filiam. 168. quam tu uxorem Hermannus: codd. uxorem quam tu. P. expulisti. 169. A. Cuius quoties. 170. A. horco ostiis. 171. Serv. ad Aen. 11, 160 licuit p. licitum est. Deinde codd. tibi uiuendo: scr. vivendo tibi. Denique P. Ho. 173. codd. cum A. omnes illa mihi: scr. illaec mi. Ceterum fortasse pronunciandum est Hercli. 174. A. pecuniast. Deinde maritast A. cum Porph. ad Horat. carm. secul. v. 20, qui om. pol: codd. reliqui omnes maritatast.

EPIDICUS. APOECIDES. PERIPHANES.

EPIDICUS.

St!
Tacete! habéte animum bonúm!
Auspicio líquido ego exeó foras, aví sinistra.
Acutum cúltrum habeo, senís quí exenterém marsuppiúm.
Sed eccum ipsum: ante aédis conspicór, qualis voló, vetulos duó.
Iam ego me convórtam in hirudinem átque eorum exsugébo sanguiném,
Senati quí columen cluént.

APOECIDES.

Continuo út maritus fíat.

PERIPHANES.

Laudo cónsilium tuóm.

APOECIDES.

Nam egó illum audívi in amorem haerére apud nesció quam fidicinám.

PERIPHANES.

Id ego excrúcior.

EPIDICUS.

Di me hercle ómnis adiuvánt, augent, amánt.
Ipsi hi quidém mihi dant viám, quo pacto ab se árgentum auferám.
Age nunc iam órna te, Epidice, ét palliolum in cóllum conicé!
Itaque assimuláto, quasi per úrbem totam hominém quaesiverís!
Age, si quíd agis. Di immortáles! utinam cónveniam domí

A. Epidicus. Periphanes. Apoetides. 175. St A. solus, cum versu sequente coniunctum: V. State, Pall. et P. At at. v. 176 et 177 hoc modo in A divisi sunt. 177. A. liquido auspicio exeo foras, ceteri liquido exeo foras auspicio: scr. auspicio liquido ego exeo foras. Deinde P. in p. avi. 178. P. et Pall. omm. senis. V. in margine extenterem. 179. P. post conspicor addit Apoecidae, V. (St.) a m. pr. apeciden, a m. sec. apoecidem, codd. ceteri Apaecidae vel Apoeciden, Pal. 6 ex correctura cum Apoecide, quae delevi. Lg. sed eccos ipsos qualis uolo senes duos. 180. P. hirundinem. Non. 479, 21 vortam in erundinem, idem 102, 29 convortam in irundines. Atque horum. Deinde Pal. 1 eiugulo, 3 exiugulo, Non. 102, 29 exorbebo, 479, 21 exugebo. Lg. nihil praeter Iam exsugebo sanguinem. 181. cf. Non. 484, 14. 182. V. (St.) om. AP. sed spatio personae relicto. Deinde APOECID a m. sec. p. Periphanes. 183. V. a m. pr. morem p. amorem, P. Pall. et Fris. iuniorem p. in amorem. Deinde Lg. nescio apud. Ceterum Bothius del. ego. 184. V. excruor. Deinde me hercle omnes Langen in Mus. Rhen. 1857, p. 431: codd. ceteri hercle omnes me, P. hercle me omnes. Denique P. augent et amant. 186. V. (St.) epydice. Deinde P. et Gell. 4, 17, 4 pallium. Denique conice Gellius: codd. coniice. 187. P. et Pal. 4 Atque p. Itaque. Lg. assimula. 188. P. ut p. utinam. V. (St.) coueniam.

Periphaném, quem omnem per úrbem sum deféssus quaereré!
Per medicínas, per tonstrínas, in gymnásio atque in foró,
Per myropólia et laniénas circumque árgentariás.
Rogitandó sum raucus fáctus: paene in cúrsu concidí.

PERIPHANES.

Epidice.

EPIDICUS.

Epidicum quis ést, qui revocat?

PERIPHANES.

Ego sum: Periphanés.

APOECIDES.

Et ego Apoécides sum.

EPIDICUS.

Et égo quidem Epidicús. Sed, ere, optumá
Vos video ópportunitáte ambo adveníre.

PERIPHANES.

Quid est reí?

EPIDICUS.

Manedum! síne respirem, quaéso.

PERIPHANES.

Immo acquiésce.

EPIDICUS.

Animo male ést.
Recipiam ánhelitum!

APOECIDES.

Cleménter requiesce.

EPIDICUS.

Animum advortité:
A legióne omnes remíssi sunt domúm Thebis.

APOECIDES.

Quis hóc
Scit ita fáctum?

189. quem omnem per urbem Bothius: codd. per omnem urbem quem. 190. Lg. et P. omm. per posterius. 193. codd. Apoecidi dant Epidice. Correxit Acidalius. Deinde P. et Lg. vocat p. revocat. 194. codd. repetunt sum post quidem, quod delevi. Deinde P. optume. 195. opportunitate ambo advenire Bothius: codd. ambo aduenire opportunitate, nisi quod P. amabo. Deinde codd. rei est: scr. est rei. cf. animadv. ad Trin. v. 695 p. 165. 196. codd. Mane: scr. cum Brixio Manedum. Deinde P. Non p. Animo. 197. V. (St.) et P. Periphanis personam exhibent p. Apoecide. 198. Lg. missi. Deinde codd. omnes omm. Quis hoc. In V. (St.) manus recentissima addidit quis he. 199. V. Scit factum, Pall. Sic factum, P. Sic factumst? Scr. Scit ita factum.

EPIDICUS.
Ego ita esse fáctum dico.
PERIPHANES.
Scín tu istuc?
EPIDICUS.
Sció.
PERIPHANES.
Qui tu scís?
EPIDICUS.
Quia ego ire vídi milités plenis viís.
Arma réferunt et iuménta ducunt.
PERIPHANES.
Nímis factum bené!
EPIDICUS.
Tum captívorum quid dúcunt secum! púeros, virginés,
Binos, térnos: alius quínque: fit concúrsus per viás.
Filiós suos quisque vísunt.
PERIPHANES.
Hercle rém gestam bené!
EPIDICUS.
Tum meretrícum numerus tántus, quantum in úrbe omni fuít,
Obviam órnatae occurrébant suis quaequé amatoribús.
Eos captábant atque ideó, qui maxume ánimum advorterím,
Pleraeque haé sub vestiméntis secum habébant retiá.
Quom ad portám venio, at ecce illam íllic video praéstolariér
Et cum eá tibicinae íbant quattuór.
PERIPHANES.
Quicum, Epidicé?
EPIDICUS.
Cum illa, quám tuos gnatus ánnos multos déamat, deperít,
Ubi fidémque, remque, séque, teque próperat perderé.
Ea praestólabatur íllum apud portam.

199. esse factum P.: codd. ceteri, ut videtur, factum esse. 200. P. vidi ire. 202. P. personam Epidici inserit post secum. 203. quinque Pal. 6 solus: reliqui omnes quisque. 205. P. quantus. 206. Helmst. quisque. De hiatu cf. Aul. III, 2, 26 Non fissilé haberes caput. 207. codd. ceteri id adeo, Pal. 6 id adeo scin: scr. atque ideo. Praestat fortasse idque adeo. Deinde V. a m. sec. quam p. qui. Denique A. animaduorterint. 208. V. et Lg. eae p. hae. 209. codd. atque ego: scr. at ecce. cf. animadv. ad Trin. v. 186 p. 140. Deinde Lg. et P. illi. 211. V. (St.) Quom p. Cum. Deinde V. a m. pr. et Pall. deamabat. 212. A. fidemquae remquae, P. fidem, om. que. 213. Lg. praestolatur.

PERIPHANES.

Víden veneficám!

EPIDICUS.

Sed vestíta, aurata, ornáta ut lepide! ut cóncinne! ut nové!

PERIPHANES.

Quid erat índuta? an regíllam inducúlam án mendiculám?

EPIDICUS.

Impluviátam, ut istae fáciunt vestiméntis nóminá.

PERIPHANES.

Utin implúvium induta fúerit?

EPIDICUS.

Quid istuc tám mirabile ést?

Quasi non fúndis exornátae multae incédant per viás.
[At tribútus cum imperátus est, negánt pendi potésse:
Illis, quíbus tributus máior penditúr, pendi potést.]
Quid istae, quaé vestei quot ánnis nomina ínveniunt nová?
Tunicam rállam, tunicam spíssam, linteolúm caesiciúm,
Indusiátam, patagiátam, caltulam aút crocotulám,
Supparum aút subminiam, rícam, basilicum aút exoticúm,
Cumatile aút plumatile, cárinum aut geminum: gérrae maxumaé.

214. codd. praeter A. omnes ornamenta p. ornata, P. ornamenta aurata. 215. P. indutulam. Non. 539, 11 an regillam tuniculam indulam an mendiculam. 216. codd. praeter V. hunc versum Periphani tribuunt. A. cum Nonio 548, 19 Impluuiata ut istae faciunt, codd. ceteri Impluuiatam ut istaec facimus. 217. Utin V. solus: codd. ceteri cum A. ut. Deinde fuerit A. solus: V. erit, Pall. et P. erat. Denique istuc tam mirabile est A. solus, nisi quod exhibet mirabilest: P. istuc mirabile est, ceteri istuc est mirabile. Praeterea codd. Epidico dant Utin impluuium induta fuerit, Periphani, quae sequuntur. 219. A., ut mihi quidem visum est, potest p. potesse: aliunde affertur potis. cf. Wagner de Aulularia p. 32. 220. A., ut videtur, tribuiis p. tributus. Ceterum v. 219 et 220 non videntur huius loci esse. 221. Lg. Quot p. Quid. Deinde uestei A. et quod p. quot. 222. rallam A. Pal. 4 et Non. 539, 15: V. ex rasura, P. Pall. 3 et 6 raliam, Pal. 2 et aliam. Deinde linteolum caesicium affertur a Non. 539, 30. 223. P. Inclusiatam, Varro de l. l. p. 134 ed. Spengel Intusiatam. Deinde V. crutulam, P. et Pal. 1 croculam. Non. 540, 5 Indusiata, patagiata. Idem 539, 33 Indusiata, patagiata, catulam aut proputulam, 548, 24 Illusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam. 224. V. Subparum. Deinde A. subnimiciam, Non. 540, 10 supparum aut subnimium est, ritam, vasilicam aut exoticum. Idem 539, 17 rica, basilicum aut exoticum. 225. Cumatile aut plumatile affertur a Non. 548, 12 plumatile aut cumatile 548, 33 plumatile 540, 20. Deinde carinum, ut videtur, A.: V. et Lg. garinum, P. Pall. et Non. 548, 33 cerinum. Dehinc geminum A. solus: V. Lg. Pall. et P. gerrinum, cod. Ang. Pontani gerinum, Non. 548, 33 gelinum. Denique A. maxume, V. maximae.

Cani quoque étiam ademptum est nómen: quin vocánt Laconicúm.
Haec vocábula auctiónes subigunt út faciant virí.

PERIPHANES.

Quin tu, ut óccepisti, lóquere.

EPIDICUS.

Occepere áliae mulierés
Duae sic póst me fabulári inter sese: égo abscessi sciéns
Paullum ab íllis: dissimulábam harum operam sérmoni daré.
Nec satis éxaudibam, néc sermonis fállebar tamén,
Quae loqueréntur.

PERIPHANES.

Id lubído est scire.

EPIDICUS.

Ibi íllarum alterá
Dixit ílli, quicum ipsa íbat

PERIPHANES.

Quid?

EPIDICUS.

Tace érgo, ut audiás.
Postquam illám sunt conspicátae, quam tuos gnátus' deperít,
Quam facile ét quam fortunáte evenit ílli, ait, obsecró,
Mulierí, quam liberáre volt amátor. Quisnam is ést?
Inquit áltera illi. ibi ílla nominát Stratippoclém,
Periphanái filiúm.

PERIPHANES.

Perii hercle: quíd ego ex te audió?

EPIDICUS.

Hoc, quod áctum est. Egomet póstquamde illas aúdivi loquí,

226. A. adeptust. Deinde idem uno tenore NOMENQUINIUBEANTLACONICUM (litterae, punctis notatae, sunt dubiae), codd. ceteri nomen. Epid. Qui? Per. Uocant Laconicum, nisi quod Lg. Laconium, P. laconum. 227. P. subiungunt — faciam. Hunc demum versum codd. dant Epidico. 228. V. (St.) APOCI p. Periph. 229. A. Quae sic post me, codd. reliqui Duae post me sic. Deinde sciens A. solus: ceteri solens. 230. harum operam sermoni A. solus: reliqui me harum sermoni operam. 231. exaudibam V. et Lg.: ceteri axaudiebam. 232. P. Quem. Deinde A. lubidost. In describendis versibus 235-239 auctoritatem cod. A. secutus sum. 235. codd. omm. ait, quod addidi. 236. quam liberare A. solus: ceteri liberare quam, nisi quod P. liberae p. liberare. Deinde A. uult. Denique cod. Fabri teste Gulielmo quis tu p. quisnam. 237. illi. ibi illa Ritschelius: A. ILLI...ILLI, codd. ceteri illi ibi, nisi quod P. om. illi. Deinde A. Strathippoclem, V. (St.) Stratippoden. 238. Periphanai Ritschelius: A. Perifani, ceteri Periphanae. 239. actum est A. solus: ceteri omm. est. Deinde postquamde A. solus: ceteri post ibi.

Coepi rúrsum vorsum ad íllas pausillátim accederé,
Quasi retrúderet hominúm me vis invítum.

PERIPHANES.

Intellegó.

EPIDICUS.

Ibi illa intérrogavit íllam: qui scis? quís id dixit tibí?
Quia hodie ádlatae tabéllae sunt ad eam á Stratippoclé,
Sumpsisse árgentum eum apud Thébas ab danísta foenoré:
Id parátum esse, et ob eám rem id ferre crédo.

PERIPHANES.

Ego occidí.

EPIDICUS.

Haec sic áibat sese audívisse eapse, atque áb ea epistulá.

PERIPHANES.

Quid ego fáciam nunc? consílium a te expetésso, Apoecidés.

APOECIDES.

Reperiámus aliquid cálidi conducíbilis consilí.
Nam ille quidem aút iam hic aderit, crédo hercle, aut iam adést.

EPIDICUS.

Si aequom siét
Me plus sápere quam vos, déderim vobis cónsilium catúm,
Quod laudétis, ut ego opíno, uterque,

PERIPHANES.

Ergo úbi id est, Epidicé?

EPIDICUS.

Atque ad eám rem conducíbile.

APOECIDES.

Quid istuc dúbitas diceré?

240. A. uersum — pausillatim: ceteri uorsum — pauxillatim. 241. P. hominem. 242. P. Periph. Qui scis? etc. V. (St.) Quin scis. Deinde A. qui p. quis. 243. Quia hodie adlatae tabellae sunt Bothius: codd. Quin hodie adlatae (V. [St.] allatae) sunt tabellae, nisi quod A. om. sunt. Deinde A. Strathippocle. 244. Sumpsisse argentum eum Hermannus: codd. Eum argentum sumpsisse. 245. codd. et sese: scr. esse, et. Deinde P. om. rem. Denique ferre credo. Per. Ego occidi Guyetus, praeeunte Acidalio, qui coniecit: ferre. Per. Credo: ego occidi. V. ferro. Per. Cedo (cui suprascriptum est dic) ego occidi, codd. ceteri ferre. Per. Cede, ego occidi. 246. codd. sic aiebat sic, nisi quod Pall. 1 et 2 omm. sic prius, 3 et 6 posterius. Scr. sic aibat sese. Deinde codd. se ab se. Scr. eapse. Denique V. a m. pr. atque ab epistola, idem a m. sec. et Pall. atque epistola, P. atque epistolam. Scr. atque ab ea epistula. 247. P. abs. Lg. expetisso. V. (St.) apoetides. 248. P. om. personam Apoecidis. codd. praeter Pal. 6 et P. callidi. 250. V. (St.) cautum, P. callidum. 251. P. ludetis. Deinde opino Bothius: codd. opinor. Denique P. om. id.

EPIDICUS.

Vos prióres esse opórtet, nos postérius diceré,
Qui plus sápitis.

APOECIDES.

Eia véro, age dic.

EPIDICUS.

At déridebitís.

APOECIDES.

Non edepól faciemus.

EPIDICUS.

Immo, si placébit, utitór
Consiliúm: si non placébit, reperitóte rectiús.
Mihi istic néc seritur, nec métitur: nisi ea, quaé tu vis, voló.

PERIPHANES.

Gratiam hábeo: fac participes nos tuaé sapientiaé.

EPIDICUS.

Continuo árbitretur úxor tuo gnato, át tum fidicinám
Illam, quám is volt liberáre, quae illum córrumpit tibí,
Ulciscáre atque íta curétur, usque ad mórtem ut serviát.

APOECIDES.

Fieri opórtet.

PERIPHANES.

Facere cúpio quidvis, dúm id fiat modo.

EPIDICUS.

Em!
Nunc occásio est faciúndi, priusquam in úrbem advenerít,
Sicut crás hic aderit: hódie non veniét.

PERIPHANES.

Qui scís?

EPIDICUS.

Sció.
Quia mihi álius dixit, qui íllinc venit, máne hic afforé.

PERIPHANES.

Quin tu elóquere: quid faciémus?

254. P. Quid p. Qui. Deinde V. (St.) et Lg. Periph. p. Apoec. Denique V. (St.) a m. pr. Euge p. Eia. 257. P. ne seritur ne metitur. Idem deinde omnia om. inter nos v. 258 et Nunc v. 263. 259. codd. atque ut: scr. at tum. 260. Lg. illam quam corrupit tibi hunc affore (cf. 265), intermediis omissis. 263. aduenerit Pal. 6 solus: reliqui omnes aduenit. 264. P. nisi p. non. Deinde codd. uenerit. Scr. veniet, Acidalius venit. 265. V. (St.) hunc p. hic. P. hic hunc affore.

EPIDICUS.

Sic faciúndum censeó,
Quasi tu cúpias liberáre fidicinam ánimi gratiá,
Quasique amés vehementer tu íllam.

PERIPHANES.

Quam ad rem istúc refert?

EPIDICUS.

Rogás?
Ut enim praéstines argénto, priusquam véniat filiús,
Atque ut eám te in libertátem dicas émere.

PERIPHANES.

Intellegó.

EPIDICUS.

Ubi erit émpta, ut aliquo ex úrbe amoveas, nísi si qui tuá
Secust senténtia.

PERIPHANES.

Immo dócte.

EPIDICUS.

Quid autumás, Apoecidés?

APOECIDES.

Quid ego? nísi iam te comméntum nimis astúte intellegó.

EPIDICUS.

Tum igitur ámota eei fúerit omnis cónsultatió
Nuptiárum, ne gravétur, quod velís.

PERIPHANES.

Nimium sapís.
Sat placét.

EPIDICUS.

Tum tu igitur cálide, quicquid ácturu's, agé.

PERIPHANES.

Bene hercle lóquere.

266. V. (St.) et Lg. Apoec. p. Epid. 268. P. om. Rogas. 269. Pal. 6 eam p. enim, Pal. 4 et P. ei. Deinde P. argentum iam priusquam eveniat. 270. P. At p. Atque. 271. P. aliqua. Deinde codd. nisi quid tua Secus sententia est. Scr. nisi si qui tua Secust sententia. Iam Bothius nisi si p. nisi. 272. codd. Quid tu autem. Scr. Quid autumas. 273. V. et Pal. 1 Qui p. Quid. Deinde ego? nisi iam Gulielmus: codd. ego iam? nisi. 274. codd. ceteri Iam igitur, Lg. Iam tunc igitur: scr. Tum igitur. Deinde codd. ceteri ei erit, P. erit ei. Scr. eei fuerit. Iam Lomannus fuerit p. erit. Denique P. consultio. 275. Lg. quid p. quod. Deinde codd. APOEC. p. PER. Denique V. et Lg. uiue, Pal. 6 hui, Pal. 1 et P. ut, ceteri, teste Grutero, ui. Scr. nimium. 276. codd. Et. Scr. Sat. Deinde V. (St.) placet tum. Denique Pall. fere omnes callide, Lg. callide iam quicquid acturus es age. 277. codd. Rem: scr. Bene.

EPIDICUS.

Et repperi, á te qui abscedát suspició.

PERIPHANES.

Sine me scire.

EPIDICUS.

Scibis: aúdi.

APOECIDES.

Sapit hic pléno pectoré.

EPIDICUS.

Opus est hómine, illoc qui argéntum deferát pro fidiciná.
Non te lénoni aeque opus fácto est.

PERIPHANES.

Quid iam?

EPIDICUS.

Né te censeát
Fili caússa facere.

PERIPHANES.

Dócte.

EPIDICUS.

Quo illum ab ílla prohibeás,
Ne qua ob eám suspiciónem difficúltas evenát.

PERIPHANES.

Quem hominem ínveniemus ád eam rem utilem?

EPIDICUS.

Híc erit optumús.
Hic poterít cavere récte, iura qui ét leges tenét.

APOECIDES.

Epidice, hábeo gratiám.

EPIDICUS.

Sed ego istuc fáciam seduló.
Ego illum cónveniam atque addúcam huc ad te, quoí iam est, fidicinám
Atque argéntum ego cum hoc ferám.

277. codd. ceteri haec te, P. haec a te: scr. a te. 279. codd. qui illo: scr. illoc qui. 280. V. Nam telo . . . non, Lg. Nam te lenoni, P. Nam te illo non. Scr. Non te lenoni. Deinde V. Nec p. Ne. 282. P. illam p. eam. Deinde codd. eueniat, ut ubique. 283. V. (St.) optimus. P. Apoec. Hic certe optimus est. 285. V. (St.) Periph. p. Apoec. Deinde habeo Guyetus: codd. habeas. 286. P. abducam. Deinde V. (St.) quoiiast, codd. ceteri quoiast. Scr. quoi iam est. Denique codd. omnes fidicina. Scr. fidicinam. R. Mueller p. 6 transposuit quoia est post illum. Praeterea Pall. omnes post hunc versum, P. ante initium insequentis addunt Apoec. Illamne, quod irrepsit ex margine cod. V., ubi v. 287 a m. sec. post emi additum est Epid. Illane?

PERIPHANES.

Quanti minimó potest emí?

EPIDICUS.

Ad quadrágínta fortásse eam posse emí minimo minás.
Verum sí plus dederis, réferam: nihil in eá re captio ést.
Atque id nón decem occupátum tibi erit árgentum diés.

PERIPHANES.

Quidum?

EPIDICUS.

Quía enim mulierem álius illam adoléscens deperít,
Auro opuléntus, magnus míles, Rhodius, ráptor hostiúm,
Gloriósus: hic emet íllam de te et dábit aurum lubéns.
Face modo: ést lucrum hic tibi ámplum.

PERIPHANES.

Deos quidem óro.

EPIDICUS.

Quin pará.

APOECIDES.

Quin tu is íntro atque huic argéntum promis? Ego visam ad forúm.
Epidice, éo veni.

EPIDICUS.

Ne abítas, priusquam ego ád te veneró.

APOECIDES.

Usque oppériar.

PERIPHANES.

Sequere tu íntro.

EPIDICUS.

I, numera: níl ego te morór. —
Nullum esse opínor ego agrum in ómni agro Atticó
Aeque ferácem, quam hic est nóster Periphanés:
Quin ex occlúso atque obsignáto armarió
Decutio argéntum tantum, quántum mihi lubét.

287. codd. omnes emi potest minimo, nisi quod Lg. ante minimo inserunt Epid. Scr. minimo potest emi. 288. P. potesse. 289. Lambinus ex vett. edd. nulla p. nihil. 290. decem Pal. 6 et P.: codd. ceteri cum Non. 355, 25 decet. Deinde P. erit tibi. 291. V. a m. pr. et P. Quiddum. Deinde alius illam Bothius: codd. illam alius. 293. P. dare te p. de te. Deinde codd. omnes iubeas p. lubens. 294. Face Acidalius: codd. omnes Tace. Deinde codd. Impetra: scr. Quin para. cf. Ter. Andr. 1, 5, 19. 295. V. hic p. huic. 296. P. Non abeas p. Ne abitas. 297. P. om. Periph. Post hunc versum autem codd. novam scenam ordiuntur. 298. codd. omm. omni: addidit Lomannus. 300. V. (St.) et P. atque obsignato atque armario. 301. argentum V. a m. pr. et P.: V. a m. sec. et Pall. argenti.

pol ego métuo, si senéx resciverít,
parasítos faciat, qui úsque attondeánt.
túrbat res ratióque: Apoecidí
fídicinam aliquam cónducticiám.
hábeo: mane mé iussit senéx
uam fidicinám sibi, ut domí,
ıivínam faceret, cántaret sibí.
ıucétur atque ei praémonstrabitúr,
pacto fiat subdola ádvorsum seném.
Ibo intro: argéntum accipiam ab dámnoso sené.

STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS.

STRATIPPOCLES.

Expectándo exedór miser atque éxenterór,
Quomodó mi Epidicí blanda dícta evenánt.
Nimis diú macerór. sitne quíd, necne sít,
Scire cúpio.

CHAERIBULUS.

Per íllam tibí copiám
Copiam áliam licet paráre: scivi in príncipio ilicó,
Tibi nullam ésse in illo cópiam.

STRATIPPOCLES.

Interii hércle èquidem misér.

CHAERIBULUS.

Absurde fácis, qui te angas ánimi.

STRATIPPOCLES.

Hercle ego íllum sémel si prenderó,
Nunquam irridére nos inúltum illunce, sérvom hominem, sinám.

303. codd. ceteri quae usque attondeant, P. atque usque attondeat. Scr. qui usque attondeant. 304. P. res turbat. 305. Pal. 3 et P. conductiuam. 307. codd. huc domum: scr. ut domi. 308. P. cantare. 310. codd. aduorsus: scr. advorsum. 311. Lg. donoso.

V. Cheribolus. P., qui hanc scenam cum sequente coniungit: Stratiphocles, Cheribolus, adolescentes duo, Epidicus. 313. evenant Bothius: codd. eueniant. 314. V. (St.) a m. pr. Sio, a m. sec. Si, P. sic p. sit. Deinde codd. ambo nequit nec nescit. 316. codd. ceteri parare aliam licet, V. tibi parare aliam licet. Scr. aliam licet parare. Deinde codd. sciui equidem in principio illico: del. equidem. 317. codd. nullam tibi: scr. Tibi nullam. Deinde codd. ego: scr. equidem miser. 318. P. facias. Deinde codd. angas te: scr. te angas. Denique codd. Si hercle ego illum semel prehendero: scr. Hercle ego illum semel si prendero. 319. codd. illum inultum, nisi quod V. inultimum: scr. inultum illunce. Deinde V. (St.) et P. sinam seruum hominem, codd. Parei reliqui seruom sinam hominem: scr. servom hominem sinam.

Quid illum férre vis, qui, tíbi quom divitiaé sunt maxumaé,
Is nummum núllum habes neque ín te tuo sodáli copia ést?

CHAERIBULUS.

Si hercle habeám, lubens pollícear, verum aliquíd aliquo modó
Alicunde áb aliqui tibi spés est mecum fórtunam foré.

STRATIPPOCLES.

Vae tibí, mendice homó!

CHAERIBULUS.

Qui tibi lubét mihi male loquí?

STRATIPPOCLES.

Quippe tú mi aliquid aliquó modo alicunde áb aliqui blatís,
Quod nusquam ést: neque ego id immítto meas in aúres, nec mihí
Plus adiúmenti das, quam ílle, qui nunquam étiam natus ést.

EPIDICUS. STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS.

EPIDICUS.

Fecisti iam ófficium tuóm: me meum nunc fácere oportet.
Per hanc curám quieto tibí licet esse. hoc quídem iam periit.
Ne quid hinc in spém referas tibí: hoc oppidó polluctum est.
Crede modo tú mihi: sic egó ago, sic egére nostri.

320. ferre V. (St.) et P.: codd. Parei ceteri ferte, Pal. 1 facere. Deinde quom Guyetus: codd. quoi, V. (St.) a m. pr. qui. Denique codd. domi maxumae sunt, nisi quod Lg. maxuma: scr. sunt maxumae, del. domi. 321. P. Numum his p. Is nummum. Deinde codd. nec sodali tuo in te: scr. neque in te tuo sodali. 322. codd. pollicear lubens (nisi quod Lg. polliceor) uerum aliquid aliqua aliquo modo (P. modo est). Correxit hunc versum cum sequente Lomannus. 323. P. et Pal. 1 a m. sec. aliquibus p. aliqui. Deinde codd. omnes post aliqui addunt aliqua. Denique mecum fortunam fore Acidalius: codd. fore mecum fortunam. Ceterum Guyetus haud male coniecit mihi p. tibi. 324. V. (St.) muri.cide, codd. ceteri muricide, Paulus p. 125 murricide. Scr. mendice. cf. Aulul. 3, 2, 9. 325. aliqui Acidalius: codd. aliquibus. Deinde V. et Lg. latis, Pall. 2 et 3 blattis, Pal. 1 et P. blactis. Praeterea V. in margine latras. 326. meas in aures Acidalius: codd. in aures meas. 327. das Guyetus: codd. ceteri ades, P. adiumenta des. Deinde codd. natust.

V. (St.) Cheribolus. 328. officium tuum P. solus: Lg. officium meum tuum me, ceteri officium tu tuum. 329. Lg. quiete. P. hic p. hoc. 330. Ne Acidalius: codd. Ni. P. qui p. quid, Lg. quod. Deinde codd. tibi hinc in spem referas. Scr. hinc in spem referas tibi. Dehinc P. et Lg. oppido hoc p. hoc oppido. Denique V. pollitum, ceteri politum. Scr. polluctum. 331. V. (St.) et P. omm. tu. V. (St.) P. et Lg. egerunt.

Proh di immortáles, mi hunc diém dedistis lúculentum!
Ut facilem atque ímpetrabilém! sed ego hinc migráre cesso,
Ut importem ín coloniam hóc auspicio cómmeatum.
Mihi cesso, cúm sto. sed quid hóc? ante aedes dúo sodales,
Erum et Chaeribúlum conspicór. Quid hic agitis? áccípe hoc sis.

STRATIPPOCLES.

Quantum hic inést?

EPIDICUS.

Quantum sat ést et plus satís: superfit.
Decem minís plus attulí, quam tu danístae debes.
Dum tibi ego pláceam atque obsequár, meum tergum flóccifacio.

STRATIPPOCLES.

Nam quid ita?

EPIDICUS.

Quía ego tuom patrém faciam perénticidam.

STRATIPPOCLES.

Quid istuc est vérbi? nil morór vetera et volgáta verba:
Peratim dúctare.

EPIDICUS.

At ego túm follitim dúctitabo.
Nam leno omne árgentum abstulit pro fidicina, — égo resolvi:
Manibus his dinúmeravi — patér suam natam quám esse credit.
Nunc iterum ut fállatur patér tibique auxilium ápparetur,
Inveni. Nam íta suasi seni átque hanc habui orátionem,
Ut, quom redísses, quam tu avés, tibi eius cópia esset.

STRATIPPOCLES.

Ea iam domi ést pro illa altera? Euge! teneo.

332. V. dedisti loculentum. Bothius coni. diem ut dedistis. 333. P. sed migrare hinc censeo. 334. V. (St.), Pall. et P. hunc Hunc auspicio. Scr. hoc. cf. v. 372. 336. V. (St.) cheribulum, Lg. Cheribolum. 337. V. (St.) supersit. 340. V. ego a m. sec. Deinde V. (St.) et P. parenticidam. 341. codd. ante nil personam Epidici exhibent, quam ego, hic deletam, versui sequenti inserui. 342. Peratim — follitim Camerarius: V. et Lg. Peratum — follitum, Pall. et P. Paratum — follitum. Praeterea codd. omm. tum, quod addidi. 343. Lg. solus p. resolvi. 344. V. a m. pr. et P. credidit. 346. Inveni. Nam R. Mueller de Epidico p. 6: codd. Inueniam. Deinde Pal. 3 suaui. 347. Lg. Uti tu p. Ut. Deinde codd. redisses ne tibi: scr. redisses quam tu aves tibi. 348. codd. Str. Euge. Ea iam (Lg. Etiam) domi (Pal. 1 domum) est pro illa (P. praelia, Lg. Fris. et Pall. quinque pelia s. Pelia). Teneo. Praeterea V. Epidici personam addidit ante Ea, Stratippoclis ante Teneo, quas ceteri omittunt. Scr. Str. Ea iam domi est pro illa altera? Euge! teneo.

EPIDICUS.

Núnc auctorem
Dedit mi ad hánc rem Apoecidém — is apud forúm manet me —
Quasi, quom amet, cáveat.

STRATIPPOCLES.

Haud malé.

EPIDICUS.

Iamiam ipse cávitor càptust.
Ipse in meo cóllo tuos patér cruminam cóllocavit.
Is adornat, ádveniens domi éxtemplo ut marítus fias.

STRATIPPOCLES.

Uno persuádebit modó, si illam, quae addúcta est mecùm,
Mi adempsit órcus.

EPIDICUS.

Nunc ego hánc astutiam ínstitivi:
Deveniam ad lénonem domum égomet solus. éum docebo,
Si qui ad eum advéniant, ut sibí datum esse argéntum dicat.
[Pro fidicina: árgenti minás se habere quínquaginta.]
Quippe ego qui núdiustertiús meis manibus dínumeravi
Pro illa tua amíca, quam patér suam filiam ésse retur.
Ibi leno scéleratum capút suom imprudens álligabit,
Quasi pro illa argéntum accceperít, quae tecum addúcta nùnc est.

STRATIPPOCLES.

Vorsutiór es, quam rotá figulàris.

EPIDICUS.

Iam égo parabo
Aliquam dolósam fidicinám, nummo condúcta quae sit,
Quae se emptam símulet, quae senés duo docte lúdificetur.
Eam ducet símul Apoecidés ad tuom patrem.

348. P. et Pal. 1 actorem p. auctorem. 350. codd. omnes quae amaret. Scr. quom amet. Bothius qui eam amet. Deinde codd. Iam ipse cautor: scr. Iamiam ipse cavitor. Denique V. (St.) captus est. Ceterum P. om. Stratippoclis et Epidici personas. 351. P. crumenam. 352. V. (St.) Lg. et P. veniens p. adveniens. Deinde P. ubi p. ut. 354. institivi Jacob: codd. ceteri institui, Lg. astutiam hanc etiam institui. 355. eum docebo Bothius: codd. eum ego docebo. 356. codd. ceteri Si quid, P. Siquidem. Deinde codd. omnes aduenian. Denique V. (St.) esse datum, P. esse datum argentum pro fidicina dicat. 357. Pugnant haec cum triginta minis infra v. 686 et 688, ut animadvertit Acidalius: rem explicare conatus est Ladewig. in diurnis antiquit. a. 1841 p. 1088. cf. tamen R. Mueller de Epidico p. 12. 358. V. (St.) denumeravi. 360. V. (St.) et P. alligauit. 362. Strat. V. (St.): P. Cherib. Deinde Serv. ad Aen. II, 62 versatior. Isid. X, 277 est. Denique P. Ah p. Iam. 363. Lg. Aliqua. 364. docte V. solus: ceteri docta. Lg. ludificet. 365. P. om. personam Stratippoclis.

STRATIPPOCLES.

Ut parate!

EPIDICUS.

Eam permeditátam meis dolís astutiísque onustam
Mittam. sed nímis longum loquór: diu me estis démorati. (40)
Haec scitis iam, út futura sínt. abeo.

STRATIPPOCLES.

Bene ámbulato.

CHAERIBULUS.

Nimis doctus ílle est ad malé faciundum.

STRATIPPOCLES.

Mé quidem certo
Servavit cónsiliis suís.

CHAERIBULUS.

Abeamus íntro hinc ad me.

STRATIPPOCLES.

Atque aliquantó lubentiús, quam abs te sum egréssus intus.
Virtute atque aúspicio Epidicí cum praeda in cástra redeo. (45)

PERIPHANES. APOECIDES. SERVOS.

PERIPHANES.

Non oris caússa modo hominés aequom fuít
Sibi habere spéculum, ubi os contémplarent suóm,
Sed qui perspícere possent córdis copiám. (4)
Fuit conducíbile hoc mea quidém sententiá. (12)
Ubi id inspexíssent, cogitárent posteá, (5)
Vitam ut vixíssent olim in áduleseentiá.
Vel ego qui dúdum fili caússa coeperám

366. Pall. praemeditatam s. praemeditatum. 367. Lg. morati. 369. V. (St.) om. est. Deinde V. a m. pr. Met quidem, idem a m. sec. et Pall. Me equidem. 370. V., teste Pareo, servabit, St. seruauit. Deinde P. om. personam Chaeribuli.

V. (St.) Murier Fidicina, P. Fidicina p. Servos. 373. Pall. Honoris p. Non oris, Lg. Non foris. Deinde V. (St.) hominis. 374. P. ubi contemplarent os suum sibi. 375. codd. Parei omnes Sed id qui (Pall. tamen teste Grut. Sibi id qui), P. Idque. Praeterea codd. exhibent versus duos: Sed id qui perspicere possent cor sapientiae Igitur perspicere possint cordis copiam, quae in unum versum contraxi. Deinde huc transposui v. 376, qui in codd. sequitur post 383. Ceterum mea quidem Acidalius: codd. quidem mea. 379. Vel ego qui dudum Guyetus: codd. Uel quasi egomet qui dum.

Me excruciare ánimi, quasi quid filius meús
Med erga déliquisset: quási non plurimá
Malefacta méa essent solida in ádulescentiá.
Profecto delirámus interdúm senés.
Sed meus sodális cum praeda éccum Apoecidés.
Venire sálvom mercatórem gaudeó.
Quid fit?

APOECIDES.

Di deaéque te adiuvánt.

PERIPHANES.

Omen placét.

APOECIDES.

Quin omini ómnes suppetúnt res prosperaé.
Sed tu hancine íntro iubeas ábduci.

PERIPHANES.

Heus! forás
Exite huc áliquis. Duce istam íntro mulierém,
Atque audin?

SERVOS.

Quíd vis?

PERIPHANES.

Cave sirís cum filiá
Mea copulári hanc neque conspícere: iam tenés?
In aediculam ístanc seorsum cóncludi voló:
Divortunt móres virginí longe ac lupaé.

380. codd. Ego me: delevi Ego. Deinde V. Melius p. meus. 381. codd. deliquisset med erga, nisi quod Pal. 1 meo p. med: scr. med erga deliquisset. Deinde codd. aut quasi non plurimum, nisi quod V. (St.) a m: sec. plurumum: scr. quasi non plurima. 382. Lg. solida essent. 384. codd. it cum praeda: scr. cum praeda eccum. 386. fit Pal. 4: ceteri omnes sit. Deinde V. (St.) a m. pr. adiuuant res propere, a m. sec. properae, quae tamen teste Pareo aliquis expunxit, Pal. 1 res prosperae omnes complacent, P. res prosperare tum placent. 387. P. om. Apoec. Deinde Quin Guyetus: V. (St.) Qui, suprascr. o, P. Quom, Pall. cum, codd. omnes homini, nisi quod V. (St.) a m. pr. nomini, Pall. aliquot omni. Denique V. propere, Pall. prospere, P. res prosperare suppetunt. Praeterea V. (St.) omnis ... s suppetunt res, ut videtur: omnis res suppetunt res. 388. codd. hanc: scr. hancine. cf. additam. ad not. Trinummi v. 589 p. 208. Deinde intro iubeas Gruterus: codd. iubeas intro, nisi quod V. et Lg. lubens p. iubeas, Pall. et P. iubes. Denique Pall. et P. adduci, Lg. abduce. V. (St.) Abduci heus. 390. P. Concludi volo atque audiri. Deinde V. (St.) Epid. p. Servos, P. Apoec. Denique P. sis p. siris. 392. P. aedicula istec. Deinde V. et Pal. 3 sorsum, Lg. concludi sorsum. Denique P. hic om. concludi volo. cf. not. ad v. 390.

APOECIDES.

Docte et sapiénter dicis: nón nimis potést
Pudicitiam quísquam suae serváre filiaé.
Edepol ne istánce temperí gnato tuó
Sumus praemercáti.

PERIPHANES.

Quid iam?

APOECIDES.

Quía dixit mihí
Iamdudum se álius tuom vidísse hic filiúm.

PERIPHANES.

Hanc edepol rém apparabat.

APOECIDES.

Plánum hercle hoc quidem ést.
Ne tu habes sérvom graphicum et quántivis pretí.
Non carust aúro contra. ut ílle fidicinám
Fecit nescíre prorsus, se ésse emptam tibí!
Ita ridìbúndam atque hilaram huc ádduxit simúl.

PERIPHANES.

Mirum, hoc qui pótuit fieri.

APOECIDES.

Té pro filió
Facturum díxit rem esse dívinam domí,
Quia Thebis sálvos redierít.

PERIPHANES.

Rectam institít.

APOECIDES.

Immo ipsus ílli dixit, cónductam esse eám,
Quae hic administraret rem dívinam tibí.
Ego illic me aútem sic assímulabam, quasí
Stolidus sim: bárdum me faciébam.

394. Monac. ac p. et. 396. codd. istam tempore, V. (St.) tamen cum lacuna post istam: scr. istance temperi. 398. V. om. tuom, Lg. alius uisse filium hic. 399. codd. plane: scr. planum. Ceterum V. (St.) verba Periphanis dat Apoecidi, Apoecidis Periphani. 401. P. Periphani dat: Non carum est auro contra. Etiam V. a m. sec. et Lg. aurum. 402. codd. praeter Lg. omnes omm. verba prorsus se. 403. Pall. et P. Illam p. Ita. Deinde P. personam Periphanis interserit ante simul. 404. Pal. 1 hic qui, V. et Pal. 2 hoc quod. 406. rectam Lambinus et Guyetus, cf. Asin. 1, 1, 40: codd. recte. Ceterum v. 406 et 407 absunt a Pall., v. 406—408 a P. 408. codd. administraret ad rem: del. ad. Deinde in codd. praeter P. omnibus sequuntur Facturum hoc dixit, rem esse divinam tibi domi, quae delevit Acidalius. 409. P. om. sic. 410. codd. Stolidum cum: scr. Stolidus sim. cf. Amph. prol. 115. Deinde V. stat p. ita, Pall. ceteri et P. sta, Pal. 6 ista deo.

PERIPHANES.

Immo ita decét.

APOECIDES.

Res magna amíci apud forum ágitur. ei voló
Ire advocátus.

PERIPHANES.

At quaeso, úbi erit otiúm,
Revortere ád me extemplo.

APOECIDES.

Cóntinuo hic eró.

PERIPHANES.

Nihil homini amíco est opportúno amiciús:
Sine tuo labóre, quod velis, actum est tamén.
Ego si allegávissem aliquem ad hóc negotiúm
Minus hominem dóctum minusque ad hánc rem callidúm,
Os sublitum ésset, itaque me álbis dentibús
Meus deridéret filiús meritissumó.
Sed hic quis ést, quem huc adveniéntem conspicór,
Suam qui undántem chlamydem quássando facít?

MILES. PERIPHANES. FIDICINA.

MILES.

Cave praeterbítas ullas aédes, quin rogés,
Senex ubi hábitat Periphanés Plotheniús.
Incertus tuóm cave ad me rétuleris pedém.

PERIPHANES.

Adulescens, si ístunc hominem, quém tu quaeritás,
Tibi commonstrásso, ecquam abs te inîbo gratiám?

411. Lg. geritur. Deinde V. eum p. ei. 412. Pal. 6 et P. Esse p. Ire. Deinde P. atque esto p. at quaeso. 414. Pall. 1, 3 et P. amicitius, V. (St.) amititius. 415. Lg. actum est tamen quod uelis. 416. codd. ceteri allegassem, V. adligassem. 417. codd. hominem quam doctum: del. quam Camerarius. 418. P. alchis. 419. V. (St.) deridetur, ad oram tamen derideret. Versum 419 sequuntur in codd. versus tres, quos Acidalius post v. 440 inseruit. 420. V. (St.), Lg. et P. quis hic. Deinde P. quem nunc huc. 421. V. clamydem. Non. 254, 24 ex Milite: Qui suam undantem clamidem.

422. Lg. praeterbites, P. praeteribitas. 423. Plothenius Petitus: codd. hic et v. 433 Platenius, nisi quod P. Platemus. 424. Lg. Incerto. P. Per. Incertus sum — retulit. 426. V. (St.) a m. pr. commonstrauero, P. commostrasso.

MILES.

Virtute bélli ornatus prómerui, ut mihí
Omnes mortáles deceat ágere gratiás.

PERIPHANES.

Non repperísti, ádulescens, tránquillum locúm,
Ubi tuas virtútes explicés, ut postulás.
Nam strenuióri deteriór si praedicát
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidaé.
Sed istum, quem quaéris, Periphaném Plotheniúm,
Is ego sum, sí quid vis.

MILES.

Quem in ádulescentiá
Memorant apud réges armis, árte duellicá
Divitias mágnas indeptum?

PERIPHANES.

Immo si audiás
Meas pugnas, fúgias pedibus dímissis domúm.

MILES.

Pol ego magis únum quaero, méas quoi praedicém,
Quam illum, qui mémoret suas mihi.

PERIPHANES.

Híc non est locús.
Proin tu alium quaéras, quoi centónes sarciás.
Atqui haec stultítia est, me illi vítio verteré,
Egomet quod fáctitavi in ádulescentiá:
Quom militábam, pugnis mémorandis meís
Eradicábam hominum aureis, quándo occeperám.

427. codd. armatus: scr. ornatus. 428. P. agere deceat. 430. P. ubi p. ut. 432. ore P. Pal. 1 et a m. sec. 6: ceteri ille, V. (St.) et Prisc. 3, 1 p. 87 ed. Hertz illae. Deinde P. sunt p. fiunt, Pal. 6 a m. pr. Erunt. Denique Pall. 3, 4 et 6 ordine p. sordidae, 1, 2 ordine sordidae. 433. V. (St.) periphanen. 434. codd. omm. Is, quod addidi. Deinde Lg. omm. si. Denique codd. praeter Lg. omnes Nempe quem. Lg. omm. Nempe. 436. V. indemptum, ceteri adeptum. 437. codd. omnes manibus: scr. pedibus. cf. Pseud. 3, 2, 55. Deinde dimissis V. solus: P. demissis, Pall. 1 et 2 remissis. Denique V. (St.) demum. 439. Guyetus coni. suas mihi qui memoret. 440. Proin Camerarius: A. P......, ceteri Quin, Lg. Quoin. Deinde sarcias Lambinus: codd. farcias, nisi quod V. fartias. De loco versuum 441—444 cf. supra ad 419. 441. codd. Atque: scr. Atqui. V. et Pal. 3 stultiast. 442. Lg. feci p. factitavi. P. om. in adulescentia. 444. Pall. et P. hominum adulescentiam aureis.

MILES.

Animum advorte, út, quod ego ad te vénio, intellegás.
Meam amicam audívi te esse mércatum.

PERIPHANES.

Attatae!
Nunc demum scío ego hunc, qui sit: quém dudum Epidicús
Mihi praedicávit militem. ádulescens, ita ést,
Ut dicis: émi.

MILES.

Volo te vérbis pauculís,
Si tibi moléstum non est.

PERIPHANES.

Nón edepol sció.
Molestum nón est, nil si dícis, quod velís.

MILES.

Mi illam ut tramíttas, argentum áccipias: adést.
Nam quid ego apúd te arcanum vérear proloquí?
Ego illam volo hódie facere líbertam meám,
Mihi concubína quae sit.

PERIPHANES.

Te ábsolvam breví:
Argenti quínquaginta mi ílla empta est minís.
Si sexagínta mihi denúmerantur minaé,
Tuas possidébit mulier fáxo feriás
Atque ita profécto, ut eam ex hoc éxornes agró.

MILES.

Estne empta haec míhi?

PERIPHANES.

Istis legibús habeas licét.

445. A. auorte. Deinde Lg. quid p. quod. Denique A. ad te aduenio. 446. Attatae A. solus: ceteri Attate, P. Atat. 447. P. om. Nunc. 450. P. om. Periph. Lg. Militem inserunt ante scio. 451. P. et Lg. omm. non. Deinde A. solus Nihil, codd. ceteri nisi. Inde scr. nil si. Denique quod A. solus: reliqui quid. Ceterum A. ante non et ante nihil spatia quasi personis destinata reliquit. 452. P. transmittas. Deinde Adest A. solus cum spatio personae: ceteri Per. Habeas, P. tamen persona Periphanis omissa. 453. A. uercar arcam, ceteri parcam, P. parem. Scr. arcanum verear. 454. uolo hodie A. solus: ceteri hodie uolo. Deinde P. liberam. 457. V. (St.) et P. omm. Si. Deinde P. dinumerentur. 459. P. versum Militi tribuit. Praeterea codd. ceteri exoneres, P. oneres: scr. exornes. cf. 462. 460. Lg. et V. Militi dant Estne empta mihi haec istis legibus, nisi quod V. tibi p. mihi, Periphani Habeas licet, Pall. et P. Estne empta mihi Militi, cetera eodem ordine Periphani. Versum constituit Bothius.

MILES.

Conciliavísti pulcre.

PERIPHANES.

Heus! fóras educité,
Quam introduxístis fidicinam. átque etiam fidés,
Ei quae accessére, addam tibi dóno gratiís.
Age, accipe hánc sis.

MILES.

Quae te intémperiae tenént?
Quas tu mihi ténebras trudis? quín tu fidicinám
Intus prodúci iubes?

PERIPHANES.

Haec érgo est fidiciná:
Hic alia núlla est.

MILES.

Non mihi núgari potés.
Quin tu huc prodúcis fidicinam Acropolistidém?

PERIPHANES.

Haec, inquam, est.

MILES.

Nón haec, inquam, est: nón novisse mé
Meam rere amícam posse?

PERIPHANES.

Hanc, ínquam filiús
Meus deperíbat fidicinam.

MILES.

Haéc non est eá.

PERIPHANES.

Quid? non est?

MILES.

Nón est.

PERIPHANES.

Unde haec ígitur gentium ést?
Equidem herclé argéntum pro hac dedí.

461. V. (St.) om. personam Militis. P. ducite. 463. P. Eique — gratis. Etiam V. (St.) a m. sec. gratis. Praeterea codd. tibi addam: scr. cum Engero Ad prosodicam Plauti p. X addam tibi. 464. quae te intemperiae A. solus: V. Pal. 3 et P. quae intemperiae, Pall. alii quae te intemperiae te. 465. V. trudis a m. sec. quasi antea fuerit cudis. 466. codd. ceteri Produci intus, P. Perduci intus: scr. Intus produci. Deinde P. om. Periph. 467. P. Est hic alia. Per. Nulla est. 468. V. (St.) cropolistidem, A addito a manu recentissima, P. exopolistidem. 469. A. inquamst, utroque loco. 470. V. (St.) et P. Eam p. Meam. Deinde A. esse p. posse. 472. A. gentiumst.

MILES.

Stulte datúm

Reor, peccátum largitér.

PERIPHANES.

Immo haec ea ést:

Nam servom mísi, qui illum séctari solét

Meum gnatum. is ípse hanc destinávit fidicinám.

MILES.

Em istic homo te árticulatim cóncidit, senéx,

Tuos. servos.

PERIPHANES.

Quí· concidit?

MILES.

Síc suspicio ést.

Nam pro fidícina haec cerva súpposita est tibí.

Senex, tibi ós est sublitúm plane et probé.

PERIPHANES.

Ego illam requíram iam, ubiubi est. béllator, valé.

Euge, euge, Epídice, frugi es: púgnavisti. homo és,

Qui me emunxísti mucidúm, minumi pretí.

Mercatus te hódie est de lenóne Apoecidés?

FIDICINA.

Fando ego istuc nómen nunquam audívi ante· hunc diém,

Neque me quidem émere quisquam ullá pecuniá

Potuit: plus iám sum liberá quinquenniúm.

PERIPHANES.

Quid tibi negóti est meae domi ígitur?

FIDICINA.

Audiés.

Conducta véni, ut fidibus cántarem· sení,

Dum rem divínam faceret.

474. codd. praeter A. omnes Reor et peccatum. Deinde A. haec est, om. ea. 475. qui illum A. solus: V. misi ..... qui sectari, unde coniicias illum qui, P. om. qui illum. 476. is ipse hanc destinauit A. solus: ceteri ipse hanc emit, nisi quod V. cum lacuna post emit, quod P. prorsus om. 477. A. Pall. 1 et 5 articulatum. Deinde A. concidis. 478. Qui A. et P.: ceteri Quid. Deinde A. suspiciost. 479. codd. praeter A. omnes omm. cerva. 480. V. a m. pr. sulatum, a sec. sulitum. 481. P. om. Periph. 482. A. eugae eugae, codd. ceteri euge frugi. In V. (St.) tamen manus recens supra frugi scripsit euge, ut coniecit Camerarius. Deinde P. Epidici — homines p. homo es, codd. omnes autem pugnasti. Correxit iam in V. (St.) Camerarius. 483. P. exmunxisti. 484. A. Mercatum est te hodie est lenone. 485. A. Fandum. Ego, V. Ehodum ego, Pall. et P. Eundem, om. ego. Scr. Fando ego. Deinde istuc nomen Bothius: codd. istunc hominem. cf. Capt. 3, 4, 101. 487. cf. Poen. v. 85. 488. A. negotist.

PERIPHANES.

Fáteor me omniúm
Hominum esse Athénis Atticís minumi pretí.
Sed tu probé scein fidicinam Acropolistidém,

FIDICINA.

Tam facile, quám me.

PERIPHANES.

Ubi habitat?

FIDICINA.

Póstquam libera ést,
Ubi habitet..... admodum íncerto sció.

PERIPHANES.

Eho, an libera ílla est? quis eam líberaverít?
Volo scire, sí scis.

FIDICINA.

Id quod aúdivi, audiés.
Stratippoclem aúdivi, Períphani filiúm,
Absentem cúravisse ut fíeret liberá.

PERIPHANES.

Perii hercle, si ístaec vera súnt, planissumé;
Meum exenterávit Epidicús marsuppiúm.

FIDICINA.

Haec sic audívi: numquid mé vis ceterúm?

PERIPHANES.

Malo cruciátu ut pereas átque abeas citó.

FIDICINA.

Fides non réddis?

PERIPHANES.

Neque fidés neque tibiás.
Propera igitur fúgere hinc, te si dí amant.

491. A. Athemis. 492. probe scein A. solus: codd. ceteri nouistin, V. (St.) et P. nouisti. Deinde A. mulierem fidicinam. Denique V. (St.) cropolistidem, A etiam hic addito a manu recentissima, P. Exopolistidem. 493. libera A. solus: ceteri liberta, nisi quod V. uberta. 494. Repraesentavi lectionem cod. A., quae fortasse verbis id quidem redintegranda est, codd. ceteri Ubi habitet dum incerto scio, nisi quod P. incerte. 495. Eho an libera illa est A. (St.): V. eho ani... Quis, P. eho ain quis, cod. Angl. Pontani eho an quis. Deinde P. liberavit. Praestat fortasse vocem Eho ab hoc versu segregare. 497. A. Strathippoclem audiui: ceteri omm. audivi. Praeterea V. (St.) Stratippoden. 499. V. sunt .. planissume, P. sunt meum planissume. 500. V. (St.) a m. pr. exintrauit. 501. P. om. Fidic. A. nunc sic sic me uis. 502. A. ut cruciatu ut. P. obeas. 504. A. Propera sis igitur. Deinde te si A solus: ceteri si te.

FIDICINA.

Abieró.
Flagitio cúm maiore póst reddes tamén.

PERIPHANES.

Quid nunc? qui in tántis promtus sím sententiís, (80)
Ei seic data ésse verba praésenti palám! (84)
Atque me minóris facio prae íllo, qui omniúm
Legum atque iúrum fictor, cónditor cluét.
Is etiam sése sapere mémorat: malleúm
Sapientiórem vidi excússo manubrió.

PHILIPPA. PERIPHANES.

PHILIPPA.

Si quid hómini est miseriárum, quod miseréscat miser ex ánimo,
Istud ego éxperior, quoí multa in únum locúm
Confluónt, quae meúm pectus púlsant simúl.
Multipléx aerumna éxercitám med habét.
Paupértas, pavór territát mei mentem ánimi,
Neque ubi meás spes collocém, habeo usquam múnitum locúm.
Ita mea gnata hóstium est potíta, neque ea núnc ubi sit, sció. (5)

PERIPHANES.

Quis illaec est múlier, pectore tímido peregre advéniens, quae ipsa sé
Miseratur?

506. A. Qui p. Quid. Deinde P. om. qui, Lg. quin p. qui in. Denique codd. cum A. omnes positus, nisi quod Lg. potitus: scr. promtus. Hunc versum autem in codd. praeter A. omnibus sequuntur tres alii in hunc modum: Eamne ego (quae omm. Lg.) sinam (Lg. sino me) impune? immo etiamsi alterum Tantum perdundum est, perdam potius, quam (V. [St.] qua) sinam Me impune irrisum esse habitum, depeculatum eis. 507. Ei seic A. solus: ceteri Sic, Lg. Sic mihi. 508. codd. praeter A. omnes memineris. 509. Pall. aliquot uirum, P. iurium. Lg. fictorum. A. condictor. P. elucet. 511. P. Sapientior est p. Sapientiorem, Lg. Saperiori. Deinde codd. praeter A. omnes omm. vidi excusso, nisi quod Lambiniani pro iis addunt scilicet.

V. (St.) hanc scenam praecedenti adnectit. 512. homini est Bothius: V. est homini, Pall. et P. omm. est. 513. codd. est Id: scr. Istud. 515. codd. omnes aerumnam me exercitam habet, nisi quod V. et Pal. 1 omm. me, ceteri exhibent excitam p. exercitam. Scr. exercitam med habet. 516. codd. omm. mei, quod addidi. 517. spes collocem Bothius: codd. collocem spes. 518. codd. gnata mea: scr. mea gnata. Deinde codd. ceteri, nescio: scr. scio. P. ubi sit nescio nunc. 519. Claud. Sacerd. 1, 89 Sed quis. Deinde codd. timido pectore: scr. pectore timido. Denique P. est p. se. 520. V. a m. pr. miseretur, P. misereatur.

PHILIPPA.

In his dictust mihí locis habitáre Periphanés.

PERIPHANES.

Me haec nominát: credo illi ego hóspitio usus évenit meó.

PHILIPPA.

Pervelím mercedem dáre, qui monstret mi hóminem eum, aut ubi hábitet.

PERIPHANES.

Noscito ego hánc, nam videor néscio ubi vidísse me priús.
Estne ea án non ea ést, quam animus rétur meús?

PHILIPPA.

Di boní! visitávi hunc an nón antidhác?

PERIPHANES.

Certo ea ést, quam in Epidauró pauperculám memini comprímere.

PHILIPPA.

Palam hicine ést, qui in Epidauró primus pudícitiam mihi pépulit.

PERIPHANES.

Quae meó compressu péperit filiám, quam domi nunc hábeo.

PHILIPPA.

Quid si adeam?

PERIPHANES.

Haúd scio an congrédiar, si haec ea ést.

PHILIPPA.

Si is est homó,
Sicut ánni multi dúbiam me danúnt, converneró.

PERIPHANES.

Longa diés meum incertat ánimum. si ea est, quám incerto autumó,
Astu hanc cóngrediar.

520. codd. locis habitare mihi: scr. mihi locis habitare. 521. codd. nominat haec: scr. haec nominat. Deinde codd. ego illi: scr. illi ego. Denique evenit Lambinus: codd. inuenit, om. meo, quod addidit Lindemannus in Jahn. annal. 1837 p. 168. 522. codd. eum mihi hominem: scr. mi hominem eum. 523. vidisse me Bothius: codd. me uidisse. 524. non ea est Bothius: codd. omm. ea. 525. V. uisitaui... antidhac. Inde scr. visitavi hunc an non antidhac. P., om. Ph., antehac, Lg. anteidhac. 526. Pall. plerique Certe, Lg. Haecine est. 527. codd. omnes Plane: scr. Palam. Deinde V. hici..ne, Pall. et P. hiccine. 529. A. om. personam Periphanis. Non. 473, 12 aut sicia an congredias, si hoc est. Deinde codd. ceteri Sin is est homo, P. Sin is homo est: scr. Si is est homo. 530. multi dubiam me A.: V. multi me de ubi an, P. om. me. Deinde danunt Bothius: codd. dant. Denique codd. omm. convenero, quod addidi. 531. P. animum incertat meum. cf. Non. 123, 31. Deinde codd. ceteri sin: scr. si; A. Sedneast. Denique autumo Camerarius: codd. omnes animo. 532. Astu hanc congrediar Bothius: codd. hanc congrediar astu.

PHILIPPA.

Mi adhibénda muliebrís nunc malitia ést.

PERIPHANES.

Conpellábo.

PHILIPPA.

Orationis aciem cóntra conferám.

PERIPHANES.

Salva sís.

PHILIPPA.

Salutem accípio mihi et meís.

PERIPHANES.

Quid ceterúm?

PHILIPPA.

Salvos sís: quod credidísti, reddo.

PERIPHANES.

Haud áccuso fidém.

Novin égo te?

PHILIPPA.

Si ego té novi, animum indúcam ut noverís.

PERIPHANES.

Ubi te visitavi?

PHILIPPA.

Iníque iniuríú's.

PERIPHANES.

Quid iam?

PHILIPPA.

Quiá

Tuae memóriae interpretári me aequom cénses.

PERIPHANES.

Commodé

Fabuláta es.

PHILIPPA.

Mira mémoras, Periphane! Em, istuc rectiúst!

532. codd. Muliebris adhibenda mihi malitia nunc est: scr. Mi adhibenda muliebris nunc malitia est. 533. Conpellabo A. 534. A. sies. 536. V. (St.) in hoc versu et sequente commutat personas, sic ut Philippa verbis Novin ego te incipiat, Senex verbis Quia Tuae memoriae etc. finiat. 539. codd. Mira memoras. Per. Em istuc rectius, V. (St.) tamen Mul. p. Per. Bothius: Mira memoras, Periphane. Per. Em istuc rectius. Scr. Mira memoras, Periphane! Em, istuc rectiust.

PERIPHANES.

Meministine?

PHILIPPA.

Meminerim? quid?

PERIPHANES.

In Epidaûro

PHILIPPA.

Ah! guttulá
Pectus árdens mihi aspersísti.

PERIPHANES.

Virginí pauperculaé
Tuaeque mátri me leváre paupertátem.

PHILIPPA.

Tun is és,
Qui per vóluptatem tuam in me aerumnam obsévisti gravém?

PERIPHARES.

Ego sum. sálve.

PHILIPPA.

Salva súm, quia te esse sálvom sentió.

PERIPHANES.

Cedo manum.

PHILIPPA.

Accipe. aerumnósam et miseriárum compotém
Mulierém retines.

PERIPHANES.

Quid ést, quod voltus íta turget tuós?

PHILIPPA.

Filiám, quam ex te suscépi,

PERIPHANES.

Quid eam?

PHILIPPA.

Edúctam perdidí.
Hostium ést potita.

540. Meministine Guyetus: codd. Meministin. Deinde Meminerim? quid? Bothius: V. (St.) memini id, P. Memini. Per. Id, Pall. omm. Id. 541. P. mihi ardens asperxisti. 543. P. et Pall. omnes omm. tuam. Deinde V. (St.) et Pal. 1 mea, V. P. Pall. 1 et 3 aerumna. Denique Pall. omnes et P. graviter. 544. P. salvom esse. 545. Non. 456, 22 erumnarum. 546. P. om. est. Deinde uoltus V. a m. sec. (duo itus a m. pr.): codd. ceteri digitus. Denique V. Pall. 1, 3, 6 te turbat, P. te deturbat, Pal. 2 te perturbat, 4 tremebat. Scr. ita turget. 547. P. educatam.

PERIPHANES.

Habe ánimum lenem et tránquillum: tacé.
Domi meae éccam salvam et sánam: nam postquam aúdivi ilicó
Ex meo sérvo, illam esse cáptam, continuo árgentum dedí,
Ut emerétur. ille eam rem ádeo sobrie ét frugalitér
Adcurávit, ad aliás res ut is est ímpense improbús.

PHILIPPA.

Fac videám, si me vis vívam.

PERIPHANES.

Eho! istinc, Cánthara, statím
Iube Teléstidem huc prodíre filiam ánte aedis meám,
Ut suam vídeat matrem.

PHILIPPA.

Rémigrat animus núnc demum mihí.

FIDICINA. PERIPHANES. PHILIPPA.

FIDICINA.

Quid est, patér, quod me excivísti ante aedis?

PERIPHANES.

Ut matrem tuám
Videas, ádeas, adveniénti des salútem atque osculúm.

FIDICINA.

Quam meam mátrem?

PERIPHANES.

Quae exanimáta exsequitur áspectum tuóm.

PHILIPPA.

Quis istaec ést, quam tu osculúm mihi ferre iubés?

PERIPHANES.

Tua filiá.

548. codd. face: scr. tace. cf. infra 627. 549. P. etiam p. eccam. 550. captam P. solus: ceteri cum V. omnes captivam. 551. P. illic. 552. ad alias res A. solus: ceteri ut alias res. Scr. ad alias res ut. Deinde codd. omm. is, quod addidi. 553. P. sitne p. si me vis, Lg. sine. Deinde codd. omm. vivam, quod addidi. Camerarius coni. vivere. Denique P. et Pall. omm. istinc, quod retinet V., Pall. autem et P. exhibent Canthara i, vel Canthari, statim, V. Canthara, om. statim. 554. Telestidem coni. Camerarius: codd. ceteri cum A. Acropolistidem, P. Exopolistidem. Deinde codd. praeter A. omnes omm. huc. 555. cod. Sambuci domum.

V. (St.) MULIER p. Philippa. 556. Pal. 3 Tu idem p Quid est. 557. Pal. 6 om. Videas. Deinde advenienti Camerarius: codd. uenienti. 559. P. Quae p. Quis.

PHILIPPA.

Haecine?

PERIPHANES.

Haéc.

PHILIPPA.

Egone osculum huíc dem?

PERIPHANES.

Cur non, quae éx te nata sít?

PHILIPPA.

Tu homo insánis.

PERIPHANES.

Egone?

PHILIPPA.

Túne.

PERIPHANES.

Cur?

PHILIPPA.

Quia ego hánce quae siét,
Neque sció, neque novi, néque ego hanc oculis vídi ante hunc diém.

PERIPHANES.

Scio, quid érres, quia vestítum atque ornatum ímmutabilém
Habet haec.

PHILIPPA.

Aliter felis cátuli longe olént, aliter suís.
Nego eam mé novisse, quaé sit.

PERIPHANES.

Proh deum átque hominum fidém!
Quid? ego lénocinium fácio? qui habeam álienas domí,
Atque argéntum egurgitém domo prorsum. quíd tu, quae patrém
Tuom vocás me atque osculáre? quid stas stúpida? quid tacés?

FIDICINA.

Quid loquár vis?

PERIPHANES.

Haec negát se tuam esse mátrem.

560. V. natast, ceteri nata est. 561. codd. hanc: scr. hance. 563. Lg. mutabilem. 564. V. aliter... catuli. Inde scr. aliter felis catuli; codd. ceteri aliter catuli. Deinde suis V. a m. pr.: idem a m. sec. et ceteri sues. 565. Nego eam me Lambinus et Acidalius: V. Ne ego eam, Pall. et P. Nec ego eam. Deinde P. om. quae sit, V. (St.) autem omnia inter novisse et Atque v. 567, quo ille versum incohat. 566. Lg. Quod p. Quid. Deinde alienas Lg.: codd. ceteri alienos, Fris. alteros. 567. Lg. prosum. Non. 103, 2 atque egurgitem domo prorsum. 568. V. (St.) osculari.

FIDICINA.

Ne fuát,
Si non vólt. equidem hac invita matris filia ero tamén.
Non me istánce cogere aéquom est meam esse mátrem, si nevólt.

PERIPHANES.

Cur me igitúr patrem vocábas?

FIDICINA.

Tua istaec cúlpa est, non meá.
Non patrem égo te nominem, úbi tu tuam me appélles filiám?
Hanc quoque étiam, si me appéllet filiám, matrem vocém.
Negat haec mé suam filiam ésse: non ergo haéc mater mea ést.
Postremo haéc mea culpa nón est: quae dixí, didici omniá.
Epidicús mihi fuit magíster.

PERIPHANES.

Perii! plaústrum perculí.

FIDICINA.

Numquid égo tibi peccávi?

PERIPHANES.

Si hercle te únquam audiveró
Me patrém vocare, vítam tuam ego intérimam.

FIDICINA.

Non vocó.
Ubi volés pater esse, ibi ésto: ubi noles, né fueris patér.

PHILIPPA.

Quid? ob eámne rem hanc emísti, quia tuám gnatam ratú's?
Quibus de sígnis agnoscébas?

PERIPHANES.

Nullis.

PHILIPPA.

Quáre filiám
Credidísti nostram?

571. codd. istanc: scr. istance. Deinde neuolt V. cum Don. ad Eun. 3, 3, 2: codd. ceteri non uolt. 572. P. vocabis. 573. cod. Oxon. te ego, Pall. et P. omm. te. Deinde P. appellabas. 575. codd. filiam me suam: scr. me suam filiam. Deinde P. mater haec. 576. codd. didici, dixi: scr. dixi, didici. 577. fuit magister Festus p. 230: codd. magister fuit. Deinde Festus Perii plaustr[um perculi] cf. Donat. ad Eun. 2, 3, 87: V. perii..... austrum perculi, P. et Pall. aliquot: Perii austrum pertuli, ceteri perculi. 578. tibi P. Helmst. et Lg.: ceteri ibi. Deinde P. om. peccavi: Si hercle te nunquam. Denique audiuero Pal. 6 solus supra lineam, quod ceteri omnes omm. 579. Me patrem V. (St.) et P.: Pareus et Gruterus ediderunt patrem Me. Deinde Lg. post interimam addunt pessima. 580. P. voles p. noles. 581. eamne Guyetus: codd. eam. Deinde P. Periph. interserit ante Quia. 582. Lg. quare ergo filiam.

PERIPHANES.

Sérvos Epidicús dixit mihí.

PHILIPPA.

Quid? ipse, sí servo aliter vísum est, nón poterás nosse? obsecró.

PERIPHANES.

Quid ego? qui íllam, ut primum vídi, nunquam vídi posteá.

PHILIPPA.

Perii mísera!

PERIPHANES.

Ne fle, múlier: intro abi, habéto animum bonúm.
Ego illam réperiam.

PHILIPPA.

Hinc Athénis civis éam emit Atticús.
Adulescéntem equidem dicébant emisse.

PERIPHANES.

Inveniam: tacé.
Abi modo íntro atque hanc obsérva Circam, Sólis filiám.
Ego relictis rebus Epidicum operam quaérendo dabó.
Si invenio, éxitialis ílli ego faciam ut hic fiat diés.

STRATIPPOCLES. EPIDICUS. DANISTA. VIRGO.

STRATIPPOCLES.

Male morígerus mihi est danísta, qui a me argéntum non petít
Neque illam addúcit, quae empta ex praéda est. sed eccum incédit Epidicús.
Quid illuc ést, quod illi cáperat frons sevéritudiné?

EPIDICUS.

Si undecím deos praeter sése secum addúcat Iuppitér,

584. codd. omm. ipse, quod addidi. Deinde codd. nouisse. 585. V. a m. pr. et Lg. primam, P. primam qui vidi. 587. Hinc V. Pall. tres et P. cf. adnot. ad Trin. v. 6 p. 125: Pall. 2, 6 et ex emendatione 1 hic. 588. P. quidem. 589. obserua A. solus: ceteri asserua. Deinde V. Circa, P. 1 Circen, P. Circem. Denique A. Solus p. Solis. 590. V. (St.) epydicum. 591. codd. exitiabilem: scr. exitialis. Deinde A. om. illi: ego faciam ut hec fiat dies, codd. reliqui ego illi faciam hunc ut fiat diem. Scr. illi ego faciam ut hic fiat dies.

V. (St.) Mulier p. Virgo. 592. qui a me A. solus: V. a m. pr. quid me, Lg. quod me, V. a m. sec. Pall. et P. qui de me. Deinde Pal. 3 om. non. 593. quae empta ex praeda est A. solus: V. quae est..... preda, Lg. quae est emta ex praeda, Pall. omm. emta, P. om. est. Deinde V. (St.) epydicus. 594. Non. 8, 33 illud — caperrat. cf. 173, 8. Pall. 2 et 3 asperat p. caperat. Deinde Lg. amaritudine.

Ita non ómnes ex cruciátu poterunt éximere Epidicúm.
Periphanem émere lora vídi: ibi aderat úna Apoecidés.
Nunc hominés me quaeritáre credo. sénserunt: sciúnt,
Sibi data ésse verba.

STRATIPPOCLES.

Quíd agis, mea commóditas?

EPIDICUS.

Quod misér.

STRATIPPOCLES.

Quid est tibí?

EPIDICUS.

Quin tu mi adórnas ad fugám viaticúm,
Priusquam péreo? nam per úrbem duo deflóccati senés
Quaeritánt me: in manibus géstant copulás secunciás.

STRATIPPOCLES.

Habe bonum ánimum.

EPIDICUS.

Quippe ego, quoí libertas ín mundo sita ést.

STRATIPPOCLES.

Ego te sérvabo.

EPIDICUS.

Edepol ne ílli melius, sí nancti fuánt.
Sed haec quis ést mulierculа et ílle graculus béllus, qui advenít?

STRATIPPOCLES.

Hic danísta, haec illa est aútem, quam ego emi dé praeda.

EPIDICUS.

Haecine ést?

STRATIPPOCLES.

Haec est. Estne ista ut tibi díxi? aspecta et cóntempla, Epidicé.

596. Lg. cruce. V. (St.) epydicum. 597. A. et V. (St.) Periphanen. Deinde ibi aderat Bothius: codd. aderat ibi. 599. P. esse data. 600. Pall. tibi est. Deinde A. om. ad. v. 601 et 602 in V. (St.) et P. locum commutant. 602. A. te p. me. Deinde secuncias Scaliger: V. secum siaui, Pall. secum suaui, P. secum sua vi. 604. codd. me p. ne. Deinde Lg. si nanctis fuat. 605. codd. quis haec: scr. haec quis. Deinde Festus p. 273 mulier. Dehinc V. (St.) grauas tellus, Paulus p. 96 grauastellus, P. gravistellus, Pall. grauistellus vel grauistelus, Festus rauistellus. Scr. graculus bellus. Denique advenit Paulus p. 96: codd. omnes uenit. 606. codd. Hic est danista: delevi est. Deinde P. autem est. Dehinc quam ego emi de praeda A. solus; ceteri quam emi ex praeda. Denique A. Haeccine. 607. codd. praeter A. omnes omm. ista. Deinde P. om. dixi. Dehinc et A. solus: V. haec, ceteri Epid. Haec? Denique V. (St.) epydice.

Usque ab úngulo ad capíllum summum est féstivissumá.
En! consímilis, quasi cum sígnum pictum púlcre adspexerís.

EPIDICUS.

Ex tuis vérbis meum futúrum corium púlcrum praedicás,
Quem Apella átque Zeuxis dúo pingent pigméntis ulmeís.

STRATIPPOCLES.

Di immortáles! cito te isse ádmiror: pedibús pulmoneís
Qui perhibétur, prius venísset, quam tu advénisti mihí.

DANISTA.

Haec edepól remorata méd est.

STRATIPPOCLES.

Si quidem istius gratiá
Es remorátus, quod ista vóluit, nimium advénisti citó.

DANISTA.

Age, age, absólve me atque argéntum numera, né comites morér.

STRATIPPOCLES.

Pernumerátum est.

DANISTA.

Tene crumínam: huc inde.

STRATIPPOCLES.

Sápienter monés.
Opperíre, dum effero ád te argentum.

DANISTA.

Mátura.

STRATIPPOCLES.

Domi ést.

608. Pal. 1 a m. sec. unguiculo, V. ungniculo. Deinde A. summumst festiuistiuissima. Pall. 4, 6 et P. tu vise p. festuvissima, quod exhibet V., Pal. 3 suum est cuius est. 609. codd. cum A. omnes Estne, nisi quod Pal. 3 Est. Nunc: scr. En. Deinde consimilis quasi cum signum A. solus: V. considera .... signum, Pall. et P. conspice signum, Lg. consignum. Denique aspexeris A. solus: ceteri videris. 611. codd. omnes Apelles, nisi quod V. appelles: scr. Apella. cf. Poen. 1260. Deinde P. Zeusis, V. pincent, P. pinsent. 612. V. a m. pr. Pall. 1, 2, 3, P. et Fris. scio iussi, V. a m. sec., Lg. et Pall. 4, 6 socio iussi: scr. cito te isse. Deinde admiror Lg. soli: V. Pall. 1, 2, 3 et P. admirer, Pall. 4, 6 et Fris. adimere. Denique pulmoneis Camerarius: codd. omnes pulmones, nisi quod V. pulmunes. 613. P. quod p. quam. 614. V. Ec p. Haec. Deinde P. illius p. istius. 615. codd. omnes Id p. Es. 616. Lg. Age absolue atque. Deinde V. (St.) et P. omm. me. Denique V. geminat numera. 617. V. (St.) Pernumeratust. Deinde P. Epid. Tene crumenam: hinc inde. Dan. Denique mones Acidalius: codd. uenis. 618. P. Epid. Opperire etc. Deinde Lg. argentum ad te. Praeterea V. (St.) om. personas Danistae et Stratippoclis.

EPIDICUS.

Satin ego óculis utilitátem obtineo síncere, an parúm?
E Philíppa matre náta es Thebis, Epidauri satá.
Videon égo Telestidém te, Periphanái filiám?

VIRGO.

Quis tu homo és, qui meum paréntum nomen mémoras et meúm?

EPIDICUS.

Non me nóvisti?

VIRGO.

Quod quídem nunc veniat ín mentem mihí.

EPIDICUS.

Non memińisti me auream ád te afferre nátali dié
Lunulam átque anellum auréolum in digitum?

VIRGO.

Mémini. Tune is és?

EPIDICUS.

Ego sum et ístic frater túost, ex alia mátre, uno patré.

VIRGO.

Quid patér meus? vivost?

EPIDICUS.

Animo liquido et tránquillo es: tacé.

VIRGO.

Di me ex pérdita servátam cupiunt, sí vera autumás.

EPIDICUS.

Non habeo úllam occasiónem, ut apud te fálsa fabulér.

619. V. optineo. Deinde, teste St., am p. an. 620. codd. omnes natam: scr. nata. Deinde es Thebis, Epidauri sata P. solus: V. asthebis, Lg. Astebis, ceteri ac Thebis, omnes autem satam. 621. P. Telesticlem, Pal. 3 Testilidem. Deinde Periphanai Bothius: codd. Periphani, nisi quod V. pherepani. 622. Lg. mecum p. meum — om. et. 623. Pal. 2 et P. Num, Pal. 1 Nun. Deinde V. (St.) nouistis quod. Guyetus coni. nosti. 624. Pall. 2, 3, 4 Num. Deinde V. me ... auream, cod. Schobing. inaurem, Lg. omm. me. Denique Pall. et P. adferri. Ceterum hic versus in A. repetitur. 625. V. et Pall. 1, 4, 5 Iunulam, Pal. 1 a m. pr. innlam, 2 inullam, 3 in nullam. Deinde Pal. 6 anelum, P. anulum — in digito. cf. Priscian III. p. 113 ed. Hertz. Denique codd. ceteri post Memini addunt mi homo, P. homo mi, quae delevi. Incohant enim cum A. versum sequentem verbis Tune is es. Ceterum v. 624 et 625 in V. (St.) locum commutant. 626. A. Pall. 1 et 2 omm. sum. Deinde P. illic p. istic. Denique V. tuus est is, P. et, ut videtur, Pall. ceteri tuus est, Pal. 1 tuus. In A. (St.) autem sequuntur statim post frater verba: qui te mercatus tuus, unde versus exoritur: Tune is es? Ego et istic frater, qui te mercatus[t] tuus.

STRATIPPOCLES.

Accipe árgentum hoc, danísta, hic sunt quadrágínta minaé.
Si quid erit dubium, immutábo.

DANISTA.

Bene fecísti: bene valé.

STRATIPPOCLES.

Nunc enim tú mea es.

VIRGO.

Sorór quidem edepol, út tu aeque sciás.
Salve, fráter.

STRATIPPOCLES.

Sanan haéc est?

EPIDICUS.

Sana, si áppellat suóm.

STRATIPPOCLES.

Quid? ego módo huic frater fáctus sum, dum intróeo atque exeó?

EPIDICUS.

Quod boni ést, id tacitus táceas tute técum et gaudeás.

STRATIPPOCLES.

Repperísti et perdidísti me, sorór.

EPIDICUS.

Stultus, tacé.
Tibi quidém, quod ames, domi praésto, fidicina, ést opera meá
Et sorórem in libertátem idem opera cóncilio meá.

STRATIPPOCLES.

Epidicé, fateor

EPIDICUS.

Abi íntro ac iube huic aquám calefierí.
Cetera haéc posterius fáxo scibis, úbi erit otiúm.

STRATIPPOCLES.

Sequere hac mé, soror.

EPIDICUS.

Ego ád vos Thesprióнem iusseró
Huc transire, sed meménto, si quid saéviunt senés,
Suppetiás mihi cum soróre ferre.

STRATIPPOCLES.

Fácile istuc erit.

630. P. om. Strat. 631. V. geminat erit. 632. V. (St.) Seru. p. Virg. 633. V. (St.) MUL. Salue. Lg. dum p. si. 634. codd. omnes omm. sum: addidit Camerarius. P. dum ego introeo. V. (St.) ea eo p. exeo. 635. Pal. 1 bonum. 636. codd. perdidisti et repperisti: scr. repperisti et perdidisti. 637. fidicina est P. solus: ceteri est fidicina. 638. P. libertatem meam idem. 639. V. (St.) Epydice. P. atque p. ac. 640. P. quom p. ubi, quod V. (St.) om.

EPIDICUS.

Thesprio! éxi istac per hórtum: affer domum aúxilium mihí.
Magna est rés: minoris múlto facio, quám dudum, senés.
Remeabo íntro, ut accuréntur advenientes hospités.
Eadem haec íntus edocébo, quae ego sció, Stratippoclém.
Non fugió: domi adesse cértum est, neque ille haud óbiieiet mihí,
Pedibus sése provocátum. Abeo intro: nímis longum loquór.

PERIPHANES. APOECIDES. EPIDICUS.

PERIPHANES.

Satine illíc homo ludibrió nos vetulos décrepitos duós
Habet?

APOECIDES.

Immo édepol tu quidém me miserum habés multis modís.

PERIPHANES.

Tace modó: sine me hominem apísci.

APOECIDES.

Dico ego tíbi iam uti sciás:
Alium tíbi te comitem méliust quaerere: íta, dum te sequór,
Lassitúdine invasérunt misero in génua fleminá.

PERIPHANES.

Quot illic hócedie me exémplis ludificátust atque té?
Ut illic aútem exenterávit mihi opes árgentariás.

APOECIDES.

Apage illum á me, nam ille quidém Volcani iráti est filiús:
Quaqua tángit, omne ambúrit: si prope ástes, calefacít.

644. P. exi istac exi. Deinde codd. omnes ortum. 645. V. (St.) Lg. Magnast res, P. Magna res. Deinde codd. omnes facto, V. a m. sec. facito. Denique codd. omnes senex. 646. Lg. venientes. 647. codd. Par. omnes hac p. haec. Deinde V. praeter morem Strathippoclem: alias enim ubique Stratippocles scribitur. 649. V. (St.) habeo.

Codd. omnes personarum inscriptioni huius scenae addunt Mulierem. 650. P. Satin ne. Deinde illic Bothius: codd. ceteri ille hic, Pall. et P. ille huic. 651. me miserum Bothius: codd. miserum me. 652. codd. Tace sis modo: del. sis. Deinde V. a m. sec. adipisci, Pall. et P. aspici. Denique codd. ut: scr. uti. 653. V. et Lg. te comitem te. Deinde codd. melius: scr. meliust. 654. V. (St.) Pall. et P. lassitudinem. Deinde P. flegmina. 655. V. Quod illi, P. illec. Deinde codd. hodie: scr. hocedie. 656. P. opes mihi. 658. P. Quamquam tangit omen. Deinde codd. propius. V. (St.) astest.

EPIDICUS.

Duodecím dis plus, quam in coélo deorum est ímmortaliúm,
Mihi nunc aúxilio adiutóres sunt et mécum militánt.
Quicquid egó malefeci, auxília mihi et suppétiae sunt domí.
Apolactízo inimicos ómnes.

PERIPHANES.

Ubi illum quaéram gentiúm?

APOECIDES.

Dum sine mé quaeras, mea caúsa quaeras vél medio in marí.

EPIDICUS.

Quid me quaéris? quid labóras? quid hunc sollícitas? ecce mé.
Num te fúgi? num ab domo ábsum? ab oculis cóncessi tuís?
Nec tibi súpplico. vincíre vis? en óstendo manús.
Tu habes lóra: ego te emere vídi. quid nunc céssas? conligá.

PERIPHANES.

Ilicét. vadimonium últro hic mihi facít.

EPIDICUS.

Quin conligás?

APOECIDES.

Edepol máncupium scelèstum.

EPIDICUS.

Te proféсto, Apoecidés,
Nil morór mihi deprecántem.

APOECIDES.

Facile exóras, Epidicé.

EPIDICUS.

Ecquid agis?

PERIPHANES.

Tuon arbitrátu?

659. Pall. et P. placeo deorum p. in coelo deorum est. 660. V. auxilo. 662. Pall. apolatico, P. apolatizo. 663. mea causa quaeras Guyetus: codd. omnes quaeras. Deinde P. in medio. 665. codd. num oculis: scr. ab oculis. 666. P. Haec ubi p. Nec tibi. Deinde V. (St.) uincere, P. ius p. vis. Denique codd. ceteri em p. en, P. est. 668. codd. ceteri mihi hic, P. mihi hic ultro: scr. hic mihi. Deinde V. (St.) et P. Apoec. p. Epid. codd. autem omnes Quid p. Quin. 669. codd. Periphani dant, quae cum Pareo tribui Apoecidi. Deinde P. om. personam Epidici. 670. codd. quidam Pall., teste Grutero, nihili p. mihi. Deinde deprecantem Jacob: V. deprae facil, Pall. et P. depraefacili, Lg. de prae facile omnes praeter V. (St.), qui APO suprascriptum habet, om. Apoecidis personam. 671. Pal. 3, teste Grutero, Eo quid.

EPIDICUS.

Meo hercle véro atque hau tuó
Conligándae haec sunt tibi hódie.

PERIPHANES.

At non lubét: non colligó.

APOECIDES.

Tragulam in te iniicere adórnat: nescio quám fabricam facit.

EPIDICUS.

Tibi morám facis, cum ego solútus asto: age, inquam, colligá.

PERIPHANES.

At mihi mágis lubet, solútum te rogitáre.

EPIDICUS.

At nil sciés.

PERIPHANES.

Quid ago?

APOECIDES.

Quid agas? mos gerátur.

EPIDICUS.

Frugi es tú homo, Apoecidés.

PERIPHANES.

Cedo mánús igitur.

EPIDICUS.

Mórántur nil: age, tu árcte colligá.
Nil veró obnoxiósum.

PERIPHANES.

Facto opere árbitraminó.

EPIDICUS.

Bene hoc habét: age nunc iam éx me exquire: rógita, quod libét.

PERIPHANES.

Qua fidúcia ausu's prímum, quae empta est núdiustertiús,
Filiám meam dicere ésse?

671. V. Pall. quinque et P. uerbo. Deinde hau A. solus: V. et Pall. quinque aud, P. haud. 672. P. hac. Deinde V. odie. Praeterea P. om. Per. Hunc autem versum sequitur in codd. praeter A. omnibus v. 675, qui tamen suo loco repetitur. 673. V. Tragula. Deinde codd. omnes fecit. Praeterea P. inserit Epid. ante Nescio. 674. codd. alege: scr. cum Muellero p. 24 age. Praeterea P. hunc v. dat Apoecidi. 676. P. tu es. Praeterea V. (St.), qui Periphanem Epidico substituit, inserit SER. (scil. Epid.) ante Apoecides. 677. codd. atque: scr. age tu. Deinde codd. Parei omnes arte. 678. V. obnoxios se, Helmst. obnoxius esse, P. obnoxiassem, Lg. obnoxio. Scr. obnoxiosum. De hiatu cf. Gellius VII, 20. Deinde P., qui in hoc versu Periphanem Epidico, Epidicum Periphani substituit, et arbitrare nunc p. arbitramino. 679. P. quid p. quod. 680. V. (St.) Quae p. Qua.

EPIDICUS.

Lubuit: éa fiducia ést.

PERIPHANES.

Ain tu? lúbuit?

EPIDICUS.

Aio: vél da pignus, ni éa sit filiá.

PERIPHANES.

Quam negát novisse mátèr?

EPIDICUS.

Ni ergo mátris filia ést,
In meum númmum, in tuom taléntum pignus da.

PERIPHANES.

Enim istaec captio ést.
Sed quis ea ést mulier?

EPIDICUS.

Tui gnáti amica, ut ómnem rem sciás.

PERIPHANES.

Dedin tibí minas trigínta ob filiám?

EPIDICUS.

Fateor datás
Et eo argénto illam me emísse amicam fíli fidicinám
Pro tua fília. istam ob rém te tetigi tríginta minís.

PERIPHANES.

Quomodo? mé ludos fecísti de illa cónducticiá
Fidiciná?

EPIDICUS.

Factum hercle véro et recte fáctum iudicó.

PERIPHANES.

Quid postrémo argento fáctum est, quod dedí?

EPIDICUS.

Dicam tibí.
Neque malo hómini neque ego indígno tuo dedí Stratippoclí.

681. codd. omm. est. 682. codd. ad p. da, P. mea p. ni ea. 683. Lg. Nouisse quam negat. 684. V. iste p. istaec, P. danistae p. da. Enim istaec. 685. P. est ea. Deinde V. om. rem, Pall. et P. exhibent omne scias. 686. V. Diden, 687. P. ego p. eo. 688. istam ob rem Pal. 6 solus: V. P. et Pall. reliqui iste ab ore, Lg. isto ab ore, omnes, ut videtur, om. te. Deinde Pal. 3 tragi p. tetigi. V. (St.) minas. 689. codd. ceteri ludofecisti, Lg. ludifecisti. 691. P. argentum. 692. codd. Gallicani Lambini neque indigno, ut coniecit Camerarius, ceteri neque benigno. Inserui ego. Deinde P. Stratiphocli dedi.

PERIPHANES.

Cur dare aúsu's?

EPIDICUS.

Quia mihi lúbitum est.

PERIPHANES.

Quae haec, malum, ímpudentia ést?

EPIDICUS.

Etiam inclámitor quasi sérvos?

PERIPHANES.

Cum tu es líber, gaudeó.

EPIDICUS.

Merui, ut fierem.

PERIPHANES.

Tu meruísti?

EPIDICUS.

Vise intro. égo faxo sciés
Hoc ita ésse.

PERIPHANES.

Quid est negóti?

EPIDICUS.

Iam ipsa rés dicet tibí.
Abi modo íntro.

PERIPHANES.

Hei! illuc non témere est! adserva ístum, Apoecidés.

APOECIDES.

Quid illuc, Epidice, est negóti?

EPIDICUS.

Maxuma hércle iniuriá
Vinctus ásto, quoius haec hócedie opera invénta est filiá.

APOECIDES.

Ain tu te illius invenísse filiam?

693. A. Quo[r] p. Cur. Deinde V. (St.) libitum est. Denique cod. Vascovanus Lambini ferocia est p. impudentia est, quod ceteri omm. Donatus ad Eun. IV, 7, 10 ex Epidico adfert Quae, malum, haec impudentia est, ut coniecit Camerarius. 694. P. om. Cum. Praeterea V. (St.), om. Epid., exhibet indamitor que si et verba Periphanis dat Seruo. 695. V. uisse. Praeterea, teste St., om. personam Epidici in hoc versu. 697. V. et Lg. Ibi p. Abi. Deinde Pall. et P. ei p. hei. Dehinc codd. non illuc: scr. illuc non. Denique P. advorsa. 698. V. (St.) epydice — maxima. 699. Lg. arto p. asto. Deinde codd. hodie: scr. hocedie. Denique V. (St.) a m. pr. inuentasi. Inde P. sit p. est.

EPIDICUS.

Inveni, et domi ést.
Sed ut acérbum est, pro benefáctis cum malí messem metás!

APOECIDES.

Quamne hodié per urbem utérque sumus deféssi quaereré?

EPIDICUS.

Ego sum défessus reperíre, vos deféssi quaereré.

PERIPHANES.

Quid istic ópere tanto orátis? me meruísse intellegó,
Ut liceát merito huius fácere. cedo tu, ut éxsolvam manús.

EPIDICUS.

Ne attigás.

PERIPHANES.

Ostende véro.

EPIDICUS.

Nolo.

PERIPHANES.

Nón aequom facís.

EPIDICUS.

Nunquam, hercle, hódie, nisi supplícium mihi das, mé solvi sinám.

PERIPHANES.

Optumum átque aequissumum óras: soccos, túnicam, palliúm
Tibi dabó.

EPIDICUS.

Quid deinde pórro?

PERIPHANES.

Libertátem.

EPIDICUS.

At posteá?
Novo libérto opus est quod páppet.

PERIPHANES.

Dabitur: praébebo cibúm.

701. P. aut p. ut. Deinde P. malis, V. malis mesim. Hunc versum Ladewigius post v. 703 transposuit. 702. P. Quam. v. 703 abest a P. 704. codd. Parei cum V. istis, P. et teste Grutero Pall. omnes isti. Deinde opere tanto oratis Guyetus: codd. oratis opere tanto. Denique codd. omm. me, quod addidi. Praeterea P. om. personam Periphanis. 705. Lg. meritissimo, P. eius merito. Deinde P. ante Cedo interserit personam Periphanis. 706. P. adtingas. 707. P. das mihi. 708. V. (St.) Optimum. Lg. aequissimis. 710. Pall. 2, 4, 6 papet, P. pape, Pal. 3 patet. Deinde P., qui totum versum Periphani dat, om. praebebo.

EPIDICUS.

Nunquam hercle hódie nisi me oráss̀is, solves.

PERIPHANES.

Oro te, Epidicé,

Mihi ut ignóscas, si qui imprúdens culpa péccavi meá.

At ob eám rem liber ésto.

EPIDICUS.

Invitus do hánc veniam tibí,

Nisi necéssitate cógar. solve sáne, si lubét.

GREX.

Hic is homo ést, qui libertátem malitia ínvenit suá.

Plaudite ét valete: lúmbos surgite átque exporgité.

711. Lg. Numqua. Deinde A. orassies (scil. orasseis). 712. A. ignoscans. Deinde qui Bothius: codd. quid. A. inprudens. 713. P. eam ob rem. v. 715 et 716 in A. et V. coniuncti sunt cum praecedentibus, V. (St.) tamen ad initium v. 715 addit POETA. 715. A. qua p. qui. 716. codd. praeter A. omnes omm. et. Deinde P. exurgite. Denique exporgite A. solus: ceteri extollite.

Ceterum corrigenda et addenda esse video haece: v. 14 scr. occepi, v. 264 Scio, (cum commate), ad v. 61 Deinde Lg., ad v. 419 versus quattuor p. tres. Praeterea ex litteris Studemundii sero ad me adlatis intellexi A. v. 9 re vera exhibere Eugae, v. 96 omittere tu, quod delendum esse conieci, et v. 440 confirmare Proin. Idem, teste Studemundio, dum v. 92 verba At enim tu Praecave retinet, v. 93 exhibet ATENIMBATENIM p. At enim cate nam, v. 160, ubi schedae meae praebent IAAMBULET (non iamiambulet) EXAMBULET, v. 219 potis p. potest, v. 239 POSTQUAM ID p. postquamde, v. 453 VERBAPARCAM p. VEREARARCAM, unde coniicias verum parcam. Ad v. 237 addendum est A. (St.) inquid, ad v. 494 incerte p. incerto, ad v. 415 liberauit p. liberaverit. V. 494 autem Studemundius ad explendam lacunam ex litterarum reliquiis coniecit dicere.



